# De diis in locis editis cultis apud Graecos.

C. ALBERS

# DE DIIS IN LOCIS EDITIS CULTIS APUD GRAECOS.

# De diis in locis editis cultis apud Graecos.

---

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

H. VAN DER HOEVEN

JUR. DOCT., IN FACULTATE JUR. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI

SUBMITTET

CASPARUS ALBERS,

ZUTPHANIENSIS.

**Die XI mensis Octobris A. MDCCCCI hora IV.**

ZUTPHANIAE
APUD W. J. THIEME & CIE.
MDCCCCI.

Patri

et

Matris Piis Manibus.

# INDEX.

# PROOEMIUM.

Religionum veterum naturam atque indolem accurate cognoscere cupienti non tantum deorum variorum cultuum, sacrorum, caerimoniarum sollemnium, ratio habenda est, verum etiam acute quaerendum, quibusnam in locis sacris singuli dei coli soliti sint. Nam in ipso locorum ingenio deorum quoque natura haud raro conspicua est. [1]) Colebant Graeci deos in templis, in *ἄλσεσιν*, in *τεμένεσιν*, in montibus clivisque, qua in re a totius orbis terrarum populis parum differunt. Quantopere autem hic in locis editis colendi mos apud totum fere genus humanum aut vigeat aut viguerit, cognosci licet ex studiis viri docti Ferd. v. Andrian. In libro enim, cui titulus «Der Höhencultus Asiatischer und Europäischer Völker» complurium populorum superstitiones, quae huc faciunt, data opera tractavit; quaestionem tamen, num haec colendi ratio etiam inter Graecos Romanosque in more esset, penitus neglexit. Quam quidem lacunam explere conatus est Rudolphus Beer [2]), sed cum perbreve tantum temporis spatium ei

1) Cognitu dignissima sunt, quae hac de re observavit K. F. Hermann, Lehrb. d. Gr. Antiq. II 53—91. Die Oertlichkeit des Cultus in ihrer Bedeutung und Anwendung für denselben.

2) Rud. Beer, Heilige Höhen der alten Griechen und Römer. Eine Ergänzung zu Ferd. Freih. v. Andrian's Schrift „Höhencultus".

daretur, non nisi raptim et parum accurate, ut ipse auctor confitetur, [1]) opus perficere potuit.

Paene igitur intacta adhuc iacet haec materia, [2]) quocirca nemo mirabitur, si quam potero accuratissime eam tractandam suscipiam. Pro parte enim virili agere constitui de cultu deorum in locis editis apud Graecos; ad quod argumentum illustrandum, ut aliorum populorum, ita praesertim Romanorum cultus obiter tangendi erunt.

Sed de tali argumento nemo rite agere potest nisi, priusquam opus aggrediatur, anxie secum perpendat, quemnam sibi praeceptorem, quem auctorem atque exemplum eligat. Variis enim et plane diversis rationibus viri docti ea, quae scriptores veteres de deorum fabulis cultibusque tradiderunt, explicare solent; ut maxime verendum sit, iunioribus praesertim atque iis, qui in hisce studiis nondum satis versati sint, ne copia sententiarum obruti frustra quaerant, quo modo ex hoc opinionum labyrintho evadant.

Iam satis obsoleta nostris diebus est opinio, olim inter mythologos Forchhammerum Prellerum Gerhardum Welckerum alios pervulgata, coeli mutationes, motus stellarum, solis occasus atque ortus, tempestatum ac temporum varietates, omnia denique, quae in coelo fiunt, veterum animos perduxisse ad fingendos deos

---

1) R. Beer, Heil. Höh. Praef. p. VIII.

2) Anno 1754 Halis Saxonum prodiit libellus G. A. Zachariae, „de more veterum in locis editis colendi deum", cuius tamen operis inspiciendi copiam nancisci non potui.

heroesque, qui humana specie induti, omnes hasce res coelestes repraesentarent. [1])

Neque mythologi, qui dicuntur comparativi, rectam mythos interpretandi viam ingressi esse mihi videntur. Inter quos Max Mueller doctrinae copia ingeniique acumine omnibus, qui hisce studiis se dederunt, longe antecedens, indefessa industria per totam vitam occupatus fuit in colligendis et, quantum fieri potuit, digerendis fabulis de diis deabusque earum gentium, quae ad familiam «Indo-Germanorum» referuntur. Nihilo tamen minus viro egregio inceptum parum successit. Persuasum enim habebat, ex uno fonte omnes mythos populorum, qui ad Indo-Germanos pertinerent, profluxisse; quam quidem opinionem certis argumentis confirmare, si quid video, minime assecutus est. [2]) Immo, iam magis magisque apparet, praesertim studiis ethnologorum, omnes populos incultos quadamtenus easdem vel certe consimiles de deorum natura notiones habuisse eosdemque honores iis adhibuisse. Cavendum igitur est, ne duorum populorum iisdem caerimoniis in colendis deis observatis, statim pro certo statuamus, eos aut

---

1) Vide O. Gruppe. Burs. Jahrb. 1900 3e Abt. p. 141. „Ziemlich alle Forscher der Neuzeit sind, so verschieden auch sonst ihr Standpunkt sein mag, immer mehr von der Anschauung zurückgekommen, dass die Götter und Heroen personificierte Himmelsvorgänge seien."

2) De argumentis, quae ex linguarum comparatione sumpsit, equidem, quippe qui in hisce studiis plane hospes sim, certam proferre sententiam non ausim. Verum id unum observatum velim, tantum abesse, ut viri docti his in rebus consentiant, ut potius bellum internecivum inter sese gerere videantur. Unus tantum deus Dyaushpitar (Ζεὺς πατήρ, Iuppiter) communi omnium fere consensu omnibus populis Indo-Germanis attribuitur, quamquam non desunt, qui ne illud quidem concedant. Cf. e. g. O. Gruppe, Kulte u. Myth. pp. 119 sq.

ambos e communi fonte hausisse, aut alterum populum ab altero deorum cultum [1]) mutuatum esse. Nil igitur mirum est, professorem Oxoniensem, in permagno discipulorum numero paucos tantum sectatores habuisse, quamquam usque ad extremum vitae integris viribus causam suam contra adversarios defendere conatus est. Novissime in libro, qui inscribitur «Contributions to the science of mythology» omnia, quae viri docti protulerant contra opiniones, quas evulgaverat libris «Lectures on the origin and growth of religion» et «Chips of a German workshop new-edit. 1895», fuse tractavit. Prae ceteris ethnologos strenue impugnat, quorum auctoritatem in dubitationem vocat, quippe qui saepissime incultorum hominum, quorum linguae plane rudes sint, afferant fabulas, testimoniorum certa fide omnino carentes.

Praeterea alia quoque in re valde erravisse mythologos comparativos clare, mea quidem sententia, probavit egregius historicus Ed. Meyer. Perhibet enim eos plerumque, nimio studio fabulas inter sese conferendi perductos, omnia fere neglexisse veterum testimonia, quae

---

1) Eadem monuit v. Wilamow.-Moellend. in studio, quod de Charontis persona apud complures populos agit: Philol Unters. VII p. 225. Anm. 23. „Wenn also die vorstellung von einem totenflusse und einem seelen übersetzenden fergen sich vielfach auch bei andern völkern finden, so zeigt sich augenfällig, wie verkehrt es ist, aus übereinstimmung auf gleichen ursprung derartigen vorstellungen zu schliessen oder besser — der ursprung ist derselbe, die volksphantasie, aber diese hat zu verschiedenen zeiten bei verschiedenen völkern das gleiche hervorgebracht. Analogie ist es, was mythenerklärung lehrt; sobald sie auf die descendenztheorie dabei überspringt, gerät sie in ein labyrinth. Versucht sie aber vollends die mythen eines volkes als misverständnisse der mythen eines andern zu erweisen, so lockt sie keinen hund vom ofen."

de cultibus honoribus precibusque diis adhibitis agant [1]).

Iam anno 1825 C. O. Mueller in notissimo illo libro, qui inscribitur «Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie» [2]) animadverterat, nos haud multum profecturos esse in indaganda deorum veterum natura, nisi accurate distinxissemus, quos quaeque regio deos sibi proprios haberet quosque cultus ac caerimonias quaeque urbs suis diis exhiberet. Numquam enim universae Graeciae eosdem deos venerationi fuisse putabat, sed tribus gentes civitates omnes olim suos habuisse deos, qui, licet postea variis modis inter sese commixti atque confusi essent, numquam tamen prorsus evanuissent [3]). Inde exorsus et ad Muellerum se applicans nostris diebus anthropologus Britannicus Andrew Lang, quem Mythologi Germaniae nonnisi vituperandi causa idque summa iniuria, memorare solent, approbare conatus est, Graeciae incolas antiquitus populis incultis et semibarbaris haud superiores fuisse. In ipsis enim Graecorum urbium tribuum gentium cultibus pristinorum morum vestigia multa reperisse sibi visus est, quae tantopere cum iis, quae de populis incultis Americae, Africae Australiae cognita habemus congruerent, ut ex his

---

1) E. Meyer, Gesch. d. Alterth. II 48. „Vor allem wichtig aber ist der von der vgl. Mythologie ignorirte Zusammenhang, in dem jeder ächte Mythus mit dem Cultus steht." Paulo post apud eundem haec legimus: „Der Hauptfehler der vgl. Mythologie ist, dass bei ihr die Religion und ihr wichtigstes Element, der Cultus, durchaus zu kurz kommt."

2) Proleg. pp. 226 e. q. s.

3) Ne carmen quidem heroicum, quantumcumque eius auctoritas apud posteros valuit, umquam id perficere potuit, ut unam eandemque communem religionem toti Graeciae daret. Vide E. Rohde, Psyche pp. 44 sqq. F. G. Welcker, Griech. Götterl. I 224 sq.

Graecorum quoque mythis ritibus caerimoniisque divinis lucem afferri posse persuasum haberet [1]).

Utut est, illud pro certo constat nos, si singularum regionum Graeciae mythos cultusque accurate perscrutemur, multa reperturos esse superstitionum vestigia, quae inde a remotissimis temporibus usque ad extremam paganitatem intacta remanserint. Anxie enim civitates instituta sacra, quae a maioribus acceperant, conservabant; ea commutare aut violare summum nefas habebatur [2]).

Quibus de causis postremis annis viri docti Immerwahr [3]) Wide [4]) Farnell [5]) Gruppe [6]) singularum regionum et civitatum cultus mythosque conquirere conati sunt, ratione habita locorum, ubi nati essent cultus, ubi floruissent, quorsum diffusi essent. Re vera hisce studiis optime meriti sunt de disciplinis mythologicis et historico-religiosis; nam firmum fundamentum iis substruxerunt. Quodsi eorum studiis plura eiusdemmodi accesserint, succedet fortasse aliquando viro summo ingenii acumine praedito, materia illa bene digesta atque

---

1) Cf. A. Lang, Myth. ritual and relig. I 262 sqq. et alibi passim.

2) Operae pretium est accurate perscrutari, quae veteres ipsi de Graecorum peculiari consuetudine pie servandi patrios cultus, memoriae prodiderunt. K. F. Hermannus pleraque testimonia, quae huc pertinent, brevi in conspectu posuit in egregio libro, qui inscribitur Lehrb. d. Griech. Antiq. 2er Th. p. 4. Anm. 8. Cf. praeterea A. Lang, M. r. and r. II 165 et P. Stengel, Handb. d. Kl. Alt. v. Dr. I. v. Mueller. B.V Abtlg. 3 p. 9.

3) W. Immerwahr, Die Kulte und Mythen Arkadiens. 1891.

4) Sam Wide, Lakonische Kulte. 1893.

5) L. R. Farnell, The cults of the Greek states 1896. Vol. III nondum in lucem emissum est.

6) O. Gruppe, Griech. Myth. und Rel. gesch. Handb. d. Kl. Alt. v. Dr. I. v. M. B. V. Abt. 2 H. 1. 1897.

ordinata, historiam religionis Graecae perfectam omnibusque numeris absolutam componere [1]).

Haec praeponenda esse censui, ut recte intellegatur, quo consilio superstitiones populorum vel remotissimorum cum Graecis comparaturus sim. Quae quidem res haud paucis ridicula videtur et paene sacrilega. Haec tamen opinio nos non morabitur. Saepius enim in hoc orbe terrarum homines rident ea, quae plane ignorant. A Graecis nempe, ut a ceteris hominibus, humana non aliena erant; nil mirum igitur, si eae res, quas cum ceteris hominibus communes habent, optime comparatione illustrantur. Imprimis populorum, qui Graecis cognati sunt, exempla afferam; non quasi omnia, quae similia habent, ad communem fontem indogermanicum referenda esse censeam — hac de re quae sentio, iam exposui, [2]) — sed cognatio artiorem quandam ingenii quoque connexionem parit, quo fit, ut vulgo maior quaedam cogitationum similitudo populos cognatos complectetur, quam inter eos, qui origine longe inter se distant, exstare solet. Praeterea optime sic obviam itur ineptae illi methodo, qua haud raro ea, quae a consuetudine Graeca aliena videntur, ad exempla potius Semitica trahuntur, quam sedula investigatione explicantur.

---

1) O. Gruppe talem historiam componere in animo se habere scripsit in Burs. Jahresb. 1900 p. 137, ubi paucis verbis huius operis adumbrationem exposuit. Vereor tamen, ne praematurum sit iamnunc tale negotium suscipere.

2) Cf. pp. 3 sq.

# CAPUT I.

## De deorum cultus in editis locis ratione, variorum populorum exemplis illustrata.

---

Apud populos cum orientales tum occidentales tantum non omnes, loca excelsa saepissime apta visa sunt hominibus, ubi sacrificia facerent diis. Verum haec tanta cultuum multitudo et varietas maior est, quam quae disputationis meae ambitu apte contineri possit. Praeterea ceterorum populorum, exceptis Graecis Romanisque, fere omnium cultus et mythi, qui huc pertinent, ab aliis iam fuse pertractati sunt, quocirca paucis tantum ad illorum studia delegabo lectores. De Romanis strictim quidem, sed tamen paulo accuratius quam de ceteris populis agam, quoniam a Graecis, quorum in superstitionibus disputatio mea praecipue versabitur, vix segregari possunt.

Romani igitur, ut ab his initium faciam, licet montuosam habitarent terram, perpaucis tantum in locis superioribus deos colebant. Iovi Latiari sive Latiali exstabat cultus pervetustus in monte Albano, ubi sacra fiebant sollemnia. [1]) Livio auctore Iupiter Latiaris olim variis prodigiis ex illo monte missis, monuit Romanos, «ut

1) Cf. Lucan. Phars. I 198. „Et residens celsa Latialis Iuppiter Alba."

patrio ritu sacra Albani facerent, quae velut diis quoque simul cum patria relictis oblivioni dederant.»[1]) A Dionysio Halicarnassensi[2]) edocemur, quibus caerimoniis sacra illa sollemnia quotannis a sociis foederis Latini celebrari soliti sint.

In eiusdem montis cacumine[3]) triumphi de hostibus devictis agebantur, quae consuetudo etiam posterioribus temporibus tenebatur, si cui consuli triumphum intra Romae moenia agere senatus denegaret.[4])

Praeterea in inscriptionibus nonnullis commemorantur I. O. M. Apenninus[5]) et I. O. M. Poeninus[6]), qua re perspicuum est Iovem horum montium deum tutelarem fuisse.

Fortasse omnium montium praeses habebatur Iupiter; Culminalis[7]) enim sive Culminaris[8]) nonnumquam nuncupabatur deus nullam aliam ob causam, si quid video, nisi quod montium culmina habitare existimaretur.

Haec sunt, quae de variis Iovis cultibus in locis editis cognita habemus; de quibus hoc loco id unum tantum observatum velim, maiorem eorum partem priscam redolere vetustatem.

Quod ad ceteros Italiae deos attinet, imprimis

---

1) Liv. I 31. Cf. praeterea apud eundem lib. XXI 63, 8.

2) Dion. Hal. IV 49. VI 95.

3) Viae sacrae ad summum montem ducentis vestigia etiamnunc supersunt. De quibus vide De Rossi, Ann. dell' Inst. 1873, 163 sqq. et 1876, 315 sqq.

4) De veterum testimoniis vide Marquardt, Staatsvw. II 570 sq. Optimo iure Preller, Rom. Myth.[3] I 216 horum triumphorum originem ad prisca tempora retulit, cum Roma nondum caput regni erat et mons Albanus praecipua erat sedes foederis Latini.

5) Heuzen Inschr. 5613.

6) C. I. L. 5, 6866 sqq.

7) C. I. L. 3, 4032. 5186.

8) C. I. L. 3, 3328.

Apollo Soranus, cui Soracte sacrum erat, dignus est, qui nominetur. Qualis fuerit ille deus e veterum testimoniis pro certo colligi nequit. Haud illepide egregius mythologus Germanicus Mannhardt [1]) coniecit, deum, qui saepe sic nude Soranus appellaretur, antiquitus Sabinorum numen solare fuisse, qui postea cum Graecorum deo Apolline in unum conflaretur.

Familia Hirporum Apollinis Sorani sacra annua in monte Soracte curabat; hi dies festos sollemnes et aliis variis caerimoniis celebrare solebant et super ambustam ligni struem ambulando [2]). Hinc apud Vergilium [3]) Arruns, antequam in Camillam, virginem regiam, hastam mittit, sic precatur Apollini:

> Summe deum, sancti custos Soractis Apollo,
> quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
> pascitur et medium freti pietate per ignem
> cultores multa premimus vestigia pruna,
> da, pater e. q. s.

Nec non Dianae Aventinensis celeberrimus cultus hic silentio praeteriri nequit. In monte enim Aventino Dianae, eadem ratione, qua Iovi in monte Albano, commune Latinorum templum erat conditum, temporibus nimirum remotissimis, cum mons Aventinus nondum intra Romae fines situs erat. Idibus Augustis hic quotannis in Dianae honorem dies festus agebatur, cuius

---

1) Mannhardt, Wald- u. Feldk. II. 327 sq.

2) Cf. Plin. N. H. VII 2, 19. Strab. V 226. Serv. ad Verg. Aen. XI 785. Sil. Ital. Pun. V 175, VII 622, VIII 494.

3) Verg. Aen. XI 785 e. q. s.

peculiares caerimonias a Dionysio Halicarnassensi Livio aliis commemorantur [1]).

Altera Diana a monte Tifata, ubi colebatur, nomen Tifatinae acceperat [2]).

Ultimo loco hic nominanda est Venus Erycina, cui in Eryce, Siciliae monte, aedes erat consecrata. Cuius tamen cultum postea tractabo, cum ad Ἀφροδίτης venerationem me deduxerit disputatio.

Quodsi hosce Romanorum cultus, quamvis exiguus eorum numerus sit, paulo accuratius consideramus, perquam notabile mihi videtur idem de ceteris Italiae numinibus in locis superioribus cultis valere, quod supra de Iove agens animadverti [3]), eorum cultuum praecipuos omnes ad remotissima tempora referendos esse. Nam et Soranum et Dianam Aventinensem, ut ceteros deos minoris momenti omittam, inter numina perantiqua habendos esse, nemo non videt. Quocirca manifestum est fieri nullo modo potuisse, ut Romani morem deos in locis editis colendi a Graecis mutuarentur.

Quod ad ceteros populos Indo-Germanos attinet, vix unus inter eos nominari potest, apud quem montes diis non fuerint consecrati [4]). Praesertim Germanorum

---

1) Dion. Hal. IV 26. Liv. I 45. Val. Max VII 3, 1. Plut. Quaest. Rom. 4. Fest. p. 343. Servium Tullium hanc aedem aedificandam curavisse traditur. Cf. Liv. Val. Max. l.l.

2) Cf. Varron. R. rust. III 1, 6. Paul. p. 366. Varro quem observationes de etymologia famosum sane reddiderunt, nominis originem deducit a „tifa" sive „tiba", quae vocabula perantiqua „montis" sive „collis" sensum habuisse contendit.

3) Cf. pag. 9.

4) Creuzeri liber, qui inscribitur Symbol. u. Myth. der alten Völker bes. d. Griech., licet eius auctoritas in rebus mythologicis ceteroquin iure in dubitationem vocetur, ad huiuscemodi cultus cognoscendos utilissimus est. Cf. huius libri

montes, quorum Wuotan et Donar dei erant tutelares, («Wuotansberge», «Donnersberge»), notissimi sunt [1]). Indi montem «Meru» venerabantur multaque mirabilia de hac deorum sede fabulabantur [2]). Persae summis in montium cacuminibus hostias immolabant [3]) et prae ceteris montem «Arborj» sacrum habebant, quocum plures eorum mythi arte cohaerebant [4]).

Populi Semitici: Canaaniti Hebraei Syri Phoenices Arabes Assyrii Babylonii, ut nulli fere in orbe terrarum populi deos in locis editis colebant. Haec colendi ratio apud eos adeo pervulgata et usitata erat, ut, si qua in regione deessent montes, ipsi struerent colles «Bamoth», in quibus diis sacrificia facerent [5]).

Apud omnes fere populos Archipelagi Indici montium cultus usitatissimus est; mortuorum praesertim animae in montium cacuminibus sedes habere putantur [6]).

Nec non denique Sinae et Japonici qui dicuntur diis montes nonnullos consecraverunt [7]).

---

edit. secund. Vol. V 23, 43, 67, 147 157, 175. Vol. VI 336 e. q. s. 388 e. q. s. 437 e. q. s. 448.

1) Cf. J. Grimm Deutsche Myth.[4] I 126, 141, 142, 154. II 797, 855. Cap. XX p. 536.

2) Cf. H. Oldenberg, Relig. des Veda p. 254 sq. Ludwig, Mantral. 198 sqq.

3) Cf. Herod. I 131. Strab. XV 732.

4) Cf. Fr. Spiegel, Eran. Alterth. I 61, 191 sqq. 463 sqq. 482.

5) Cf. W. Baudissin, Studien zur Semitischen Religionsgeschichte II 231—269. B. Stade, Israël I, 449 sqq. C. P. Tiele, Gesch. v. d. godsd. in de oudh. tot op Alex. den Groote pp. 216, 248. P. D. Chantepie de la Saussaye, Lehrb. der Religionsgesch. I 221, 232 sq., 238, 258. E. Meyer, Gesch. d. Altert. I 210, 246, 373. Ferd. v. Andrian, Höhenc. 252—287.

6) G. A. Wilken, Het animisme bij de volken van den Indischen archipel. 139 sqq.

7) Ferd. v. Andr. Höhenc. 156—222.

Sed haec hactenus; satis superque exemplis ostendimus, quam pervulgata apud omnes fere populos esset consuetudo deos in locis superioribus colendi. Quaeritur iam, ad quodnam numinum genus pertineant omnes illi dei, quibus montes consecrati fuerint. De qua re, ut plane et distincte proferam, quae sentio, opus erit paucis verbis mentionem facere cuiusdam montium venerationis, quae etiamnunc apud plures populos incultos exstat. In Siberia enim et America et Africa gentes vivunt haud paucae, quae montibus suis honores tribuunt divinos, non quasi putent deos ibi morari solere, sed quoniam ipsos montes deos habent.[1]) Hoc enim genus montes colendi ab illo bene distinguendum esse Fr. Schultze in notissimo illo libro, qui de superstitionibus a fetissismo pendentibus agit, apertis verbis monuit.[2]) «Wohl zu unterscheiden ist von dem fetischmässigen Bergcult die Verehrung solcher Berge, auf denen irgend ein bestimmter Cultus oder eine Gottheit ihren Sitz hatte. Da wird dann nicht der Berg als diese tellurische Masse, sondern die Gottheit verehrt.» Attamen haud

1) Cf. Fr. Schultze, Der Fetischismus 180 sqq. J. Lubbock, The orig. of civ. and the prim. cond. of man 293 sq.

Idem de Cappadocibus, qui montem suum Argaeum pro deo habebant, Maximus Tyrius asseveravit. Dissert. VIII "Ὄρος καππαδόκαις καὶ θεὸς καὶ ὅρκος καὶ ἄγαλμα. Permultis nummis Cappadociae, in quibus ipse mons sacer expressus est, idem edocemur. De qua re cf. Cat. Br. Mus. (Galat. Cappad. and Syr.) No. 1, 2, 11, 13, 14, 18, 27, 35, 39, 45, 80, 117, 119, 122—126, 147, 149—156, 162, 165—180, 193, 198, 201, 203, 204, 208, 212, 217—219, 223—229, 232—235, 238, 240, 242, 247, 253, 255—257, 260—293, 295—301, 308, 310, 314, 315, 326, 329, 330, 336, 339, 341, 345, 351. 353. Cf. praeterea Introd. p. XXXIX. Imhoof—Blumm., Mon. Gr. p. 419.

2) Fr. Schulzte, Fet. 181.

immerito G. A. Wilken observavit duo illa genera montes colendi vinculo quodam inter sese cohaerere [1]). Re vera saepius ita coaluerunt, ut alterum ab altero bene discerni nequeat. Ita summus mythologus Germanicus J. Grimm pro certo diiudicare non ausus est, utrum apud Germanos montes ipsi quasi fetissa venerationi essent, an ideo tantum sacri haberentur, quia in eorum verticibus dii (Wuotan, Donar) morari putarentur. Haec enim eius sunt verba [2]): «Heilige berge und hügel gab es in menge; doch scheint dabei kein elementarischer cultus zu walten: man verehrte sie wegen der gottheit, die darauf ihren sitz hatte. Wenn bei Agathias, ohne solchen bezug, λόφοι und φάραγγες als gegenstände des cultus genannt werden, so kann die beobachtung unvolständig, und ein wasser- oder feuercultus an den berg geknüpft gewesen sein. Unter den Gothen dürft man am ersten reine bergverehrung suchen. Dietmar von Merseburg gibt ein beispiel von Slavischem bergcultus: posita autem est haec civitas (nämlich Nemzi, Nimptsch) in pago silensi, vocabulo hoc a quodam monte, nimis excelso et grandi, olim sibi indito: et hic ob qualitatem suam et quantitatem cum exsecranda gentilitas ibi veneraretur, ab incolis omnibus nimis honorabatur.»

Qua ratione autem duo haec cultuum genera, quorum alterum ad fetissismum, alterum ad cultum deorum in editis locis pertinet, inter se nexa et coniuncta sint, hac de re in sequenti capite fusius disputabo. Hoc

1) G. A. Wilken, Het animisme bij de volken v. d. Ind. archip. p. 139.
2) J. Grimm Deutsche Myth. 4 p. 536.

loco tantum id unum observatum velim, illos praecipue montes, qui inde a remotissimis temporibus culti essent, quia fetissa haberentur, aut quia montis genius nescio quis in eo inesse putaretur, omnes ob id ipsum, quod per longum aevum sanctitatem quandam iam assecuti essent, quam maxime aptos fuisse, qui a diis superioris ordinis occuparentur, praesertim ab iis diis, qui in summa coeli altitudine habitare existimarentur. Nam coelicolas in montibus celsissimis, nempe in iis, qui usque ad coelum ipsum cacumina tollere videbantur, potissimum venerationis sedes habuisse, id et per se intellegitur et variorum populorum cultibus comprobatur.

Sic apud Indos praecipue Indra montium praeses habebatur [1]). Qui deus proxime accedit Graecorum *Διὶ Ὀμβρίῳ*. Graeci enim, ut aquarum coelestium compotes fierent, *Διὶ Ὀμβρίῳ* per hostias supplicare solebant, Indi autem Indram deum pluvium habebant, cui deo succum quendam divinum, qui soma dicebatur quique e herbis in montium cacuminibus crescentibus parabatur, libabant [2]).

Persis mos erat, ut in montium cacuminibus sacra facerent atque coelum adorarent tamquam deum. Hoc saltem ex Herodoti verbis efficio, qui hac de re haec habet [3]): *οἱ δὲ (Πέρσαι) νομίζουσι Διὶ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες, θυσίας ἕρδειν, τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντες.* Quibus verbis nisus haud sine veritatis specie Fr. Schulze perhibuit Persas Herodoti aetate ad summum fetissismi gradum pervenisse, «wenn»,

1) Cf. H.Oldenberg, Die Rel. des Veda p. 51. 2) Cf. Ibid. 178. 459.
3) Herod, I 131. Herodoti verba exscripsit Strabo XV 732.

ut ipsius verba laudem, «das religiöse Bewustsein nicht mehr den Mond und die Sterne und die Sonne, sondern jetzt ihren gesammten Inbegriff, das ganze Himmelsgewölbe, den Himmel selbst als höchste Fetisch, als seine höchste Gottheit betrachtet» [1]).

Etiam ex iis, quae de Romanorum diis in montibus cultis tradidimus [2]), apparet praecipuos huiuscemodi cultus ad eos pertinere deos, qui in coelo regnum suum habuerint. Nam praeter Iovem ipsum et Dianam deam lunarem, etiam Soranum, quem deum in monte Soracte cultum fuisse supra commemoravimus [3]), in numero coelicolarum numinum habendum esse, sine ulla dubitatione affirmaverim post ea, quae Mannhardt Preller Usener, viri magnae sane auctoritatis, de illo deo scripto mandaverunt [4]). Graecorum denique superstitiones in sequentibus fuse atque copiose pertractaturo hoc loco silentio praeterire mihi licebit.

Restat, ut paucis exemplis demonstrem, etiam apud populos Semiticos moris fuisse eos praecipue deos, qui in coelo regnarent, in locis editis colere. Qua in re primario loco Phoenices nominandi sunt. Hi enim fere omnibus in suis montibus deo Baal, cui coeli regimen erat tributum, sacra faciebant. De cuius dei cultu haec legimus apud Chantepie de la Saussaye [5]): «Sein Heiligthum wird gern auf Bergeshöhen erbaut, denn er ist

1) Fr. Schultze, Fetisch. 276. 2) Cf. pp. 8 sqq. 3) Cf. p. 10.

4) Mannh., Wald- u. Feldk. II 327 sq. Prell., R. M.[3]. 368 sq. Usen. Göttern., 202.

Vocabula „Soranus", „Soracte", „Sol" unam eandemque stirpem communem habere veri simillimum est.

5) Chantep. d. l. Sauss., Lehrb. d. Relig. gesch. I 232.

der Himmelsgott.» De Canaanitis idem edocemur: eorum quoque religio magna ex parte e naturae cultu orta erat, quocirca coeli dominus prae ceteris apud eos venerationi erat et summis in montibus colebatur [1]. Ab iis Hebraei morem illum deum colendi in «Bamoth» asciverunt [2], quamobrem postea prophetae, qui quidem omnes superstitiones, quae e naturae cultu pendebant, acriter perstringebant, hanc praesertim consuetudinem tamquam sacrilegium et summum nefas improbabant [3].

1) W. W. Baudissin, Stud. z. Sem. Rel. II 263 sqq.

2) Ipsis Hebraeis iam inde a priscis temporibus montes nonnullos sacros fuisse Baudiss. II 253 sqq. probavit.

3) Chantep. d. l. Sauss. L. d. R. I 272. Baudiss. II 261.

# CAPUT II.

## De locis editis sacris apud Graecos universe.

---

Antequam de Graecorum clivis montibusque sacris accuratius agam, in universum de eorum genere atque ratione pauca praemonenda sunt.

Unaquaeque fere urbs arcem suam habebat intra urbis moenia. Erant hae arces loca excelsa, plerumque bene munita, quae belli temporibus non solum urbis incolis ipsis, sed etiam populis circumiacentibus ab hostium vi atque impetu tutum praeberent refugium. In his quoque saepenumero deorum templa exstruebantur, nullam aliam ob causam, ut videtur, nisi ut in urbis loco tutissimo eoque maxime conspicuo aptissime essent collocata [1]). Ita Athenienses inde a priscis temporibus praeter deam tutelarem ipsam, *Ἐρεχθέα* et *Ποσειδῶνα* [2]) in arce venerabantur, quibus postea alii dei haud pauci adiungebantur. Nam hoc quoque saepe fieri solebat,

---

1) De qua re haec legimus apud Xenoph. Mem. III 8, 10: *Ναοῖς γε μὴν καὶ βωμοῖς χώραν ἔφη εἶναι πρεπωδεστάτην, ἥτις ἐμφανεστάτη οὖσα ἀστιβεστάτη εἴη.*

Cf. praeterea Vitruv. I 7. IV 5.

2) Amborum deorum cultus postea tam arte coaluerunt, ut novum quoddam numen ***Ποσειδῶν Ἐρεχθεύς*** ex iis ortum sit. Cf. Prell.-Rob. Gr. Myth.[4] 203 sq.

ut urbes nobilissimae deorum cultus, qui antiquitus minime iis proprii essent, sibi vindicare studerent. Cuius rei unum afferam exemplum, cui ex egregio Widii [1]) libro plura addi possunt. Spartiatae deam *Δικτύνναν*, quae alioquin, ut postea videbimus, non nisi in promontoriis colebatur, ad suam urbem, in regione interiore sitam, transtulerunt, ubi in colle Dictynnaeo templum ei exstruxerunt [2]).

Dei igitur omnes, qui intra urbium moenia in arce vel in loco quodam superiore colebantur, ab argumento meo alieni sunt, nisi aliunde novimus eos ideo in illis locis esse cultos, quod non, nisi in excelsis templa collocata haberent. Ita intellegitur, quinam in locis editis culti dei ad argumentum meum non pertineant.

Sed ad aliam iam venimus quaestionem haud sane levioris momenti, num apud Graecos quoque superstitionis, de qua supra locuti sumus [3]), vestigia supersint, illam dico, qua montes pro fetissis habebantur. Schultze in egregio illo libro, saepius iam a me laudato, aliorum quidem populorum cultus fusius tractat, Graecos tamen silentio praeterit. Quamquam quinquaginta fere annis ante eum Fr. Creuzer perhibuerat totos montes a Graecis, temporibus etiam historicis, sacros habitos esse. Ex Iliadis enim loco [4]), ubi legimus:

*Ζεὺς δὲ Θέμιστ' ἐκέλευσε θεοὺς ἀγορήνδε καλέσσαι*
*κρατὸς ἄπ' Οὐλύμποιο πολυπτύχου· κ. τ. λ.*

---

1) S. Wide. Lak. Kulte 259 sq.
2) Cf. Paus. III 12, 8. Liv. XXXIV 38.
3) Cf. pag. 13.
4) Hom. Iliad. XX 5.

clare apparere putabat, inter Iovem Olympium et montem Olympum vix quidquam discriminis esse. Creuzeri verba haec sunt [1]): «Das Haupt des Berges war also Jupiters Haupt» .... «Es gab eine Ansicht wonach der Olympos dem Griechen eben so wohl ein Gott war, wie der Berg Argäus den Cappadociern. Nach solchen Vorstellungen werden heilige Berge zum lebendigen und lebendigmachenden Gott selber. In der Sternenschrift des Himmels ist das erste Gesetz gegeben. Das zweite Gesetz wird gegeben auf des Olympus Gipfel» u. s. w. Et alibi apud eundem legimus [2]): «Juppiter, der natur Leib und Leben thronet nicht etwa bloss auf den Höhen, sondern er ward in den Stammesreligionen der verschiedenen Gauen, als Naturleib, zum heiligen Berge selber.» Haec omnia quam inepta sint, nemo non videt; sunt profecto Creuzero digna, quippe qui artem criticam atque rationem historicam plane respuens etiam alia haud pauca commenta praepostera et ridicula scripto mandaverit, quamobrem a recentioribus mythorum interpretibus iure explosus est [3]).

Praeter hoc autem documentum ex Homero repetitum, quod nihili est, nulla sunt, quod sciam, talis montium cultus apud Graecos certa exempla. Nihilo tamen minus remotissimis temporibus re vera apud eos illam superstitionem exstitisse haud negaverim; immo eius rei

1) Fr. Creuzer, Symb. u. m. d. alt. Völk. bes. d. Gr.² II 535.

Veram et dilucidam huius loci interpretationem debemus K. H. W. Voelckero, Homer. Geogr. u. Weltk. 9 sq.

2) Creuz. II 757.

3) Cf. J. H. Voss, Antisymbolik. C. O. Mueller, Prol. zu ein. wissensch. Myth. 331 sqq. G. Hermann, Uber. d. Wesen u. d. Behandlung d. Myth. Brief an Creuzer.

vestigia, quamvis levissima, adhuc indicari posse persuasum habeo. In Graecia enim posterioribus temporibus haud pauci erant montes, in quibus heroes, celeberrimi proavi, sepulti esse putabantur. En habes exempla e Pausania desumpta:

Pandionis sepulcrum in loco Megarensis agri, qui Ἀθηνᾶς Αἰθυίας scopulus appellatur. Paus. I 5, 3 I 41, 6.

Tantali in monte Sipulo sepulcrum. Paus. II 22, 8.

Cinadi, Menelai gubernatoris, sepulcrum in promontorio Laconicae, quod Ὄνου γνάθον nominant. Paus. III 22, 10.

Endymionis sepulcrum in Latmo, Cariae monte. Paus. V 1, 5.

Iphiclis, Heraclis fratris e patre, sepulcrum in colle quodam Pheneo urbi propinquo. Paus. VIII 14, 9.

Aepyti, Elati filii, sepulcrum in summo Arcadiae monte Sepia. Paus. VIII 16, 2.

Callistus sepulcrum in tumulo alte structo iuxta Tricolonos, Arcadiae urbem. Paus. VIII 35, 8.

Arcadis, Callistus filii, sepulcrum in Maenalo, Arcadiae monte. Paus. VIII 36, 8.

Multos autem heroes non fuisse, nisi deos ex remotissima illa aetate superstites, qua imprimis dei subterranei venerationi essent, qui, crescente deorum excelsiorum gloria, pedetentim ad inferiorem heroum ordinem delapsi essent, firmis argumentis Erwin Rohde probavit [1]). Dei igitur illi pervetusti magis magisque recedebant; eorum cultus olim fama florentes, sensim atque

1) E. Rohde, Psyche pp. 104 e. q. s.

paulatim evanescebant, ut eorum nulla fere alia relinquerentur vestigia, nisi quod in locis, in quibus aliquando dei illi subterranei culti essent, postea herois nescio cuius sepulcrum ostenderetur [1]).

Quibus de causis non dubito, quin illi quoque montes, quos in praecedenti pagina commemoravimus, olim tamquam fetissa culti sint, quia montium genii in iis habitare existimarentur. Facit huc quoque, quod Wilken animadvertit, apud populos incultos Archipelagi mortuorum animas praesertim in iis montibus sedes habere putari, quos antiquitus fetissorum loco cultos fuisse veri sit simillimum [2]).

Quae sacrorum montium ratio atque natura praeterea cognosci videtur e Graecorum more montes tamquam personas figurandi, de quo more breviter agere velim. Res enim perquam notabilis est, multos Graeciae montes habuisse nomina, quibus etiam heroes semideique nuncuparentur. Sic apud scriptores veteres cognomina: Atlas Tantalos Tmolos Cithaeron Haimos Ardettos Parnessos Eryx Helicon Ida, quibus omnibus e Pseudo-

---

1) Cf. Rohde l.l. 132. „So mag unter der Gestalt noch manches Heros, ein alter Localgott sich verbergen, dessen Wohnung im Inneren der Erde zum „Grabe" umgedeutet wurde, seit er selbst aus einem göttlichen Wesen höheren Ranges zum sterblichen Helden herabgesetzt war."

2) G. A. Wilken. Het anim. bij de volk. v. d. I. A. p. 139. „Niet onwaarschijnlijk is het echter, dat ook zij (d. w. z. de heilige bergen in den Archipel) oorspronkelijk, anthropopatisch opgevat, als zoovele fetisen aangebeden werden en men eerst later, onder den invloed van het steeds meer op den voorgrond tredend spiritisme, er toe gekomen is die eenmaal als heilig geachte hoogten bij voorkeur als verblijfplaatsen van geesten, in de eerste plaats van de zielen der afgestorvenen aan te merken." Cf. praeterea apud eundem pp. 193, 230.

Plutarcho [1]) alia quaedam levioris momenti adiungi possunt, modo ad heroes, modo ad montes indicandos adhibentur [2]). Quaeritur igitur, qua ratione haec similitudo explicanda sit; nam casu aut fortuito factum non esse, ut tot heroes montesque uno eodemque nomine apellarentur, perspicuum est. Viri docti hac de re duas in partes disputant; alii a montibus heroum nomina deducunt, alii contra heroes montibus nomina indidisse affirmant; verum tertio quoque modo rationem, quae exstiterit inter eos, sic explicari posse, ut et heros et mons ex eadem origine nomen traxisse putemus, id ab omnibus fere praetermittitur. Quamquam dignissima est, quam nobiscum reputemus, sententia ab Hermanno Usener prolata, saepenumero et deorum et locorum cognomina ex communi quodam fonte nata esse [3]). Sic veri mihi videtur simillimum mythicum illum *Ἄτλαντα*, in quo nomine stirps verbi *τλῆναι* i. e. «ferre» «sustinere» facile agnoscitur, ortum esse ex quadam Graecorum notione, qua putabant, coelum statumine nescio quo prohiberi, ne in terram decideret. Quod quidem statumen nunc quasi heroem praegrandem, nunc quasi montem cogitatione sibi informabant. Minime igitur, auctore Wernickio, *τὸν Ἄτλαντα* ipsum *Δία* repraesentare existimo [4]), neque montis personi-

1) Pseudo-Plut. de fluv. et mont. nom. 2,3. 3,2. 5,3. 7,5. 8,3. 9,4. 10,4 11,3. 12,3. 13,3. 17,3. 18,4. 18,9. 21,4. 22,4. 23,4. 24,3. 25,4.

2) Cf. Roscher, Ausf. Lexic. II 2110 sq.

3) H. Usener, Göttern. p. 232 „Gottesnamen und ortsbezeichnung sind in zahlreichen fällen, aus der wurzel derselben vorstellung emporgewachsen."

4) Wernicke apud Pauly-Wissow. p. 2127. „Atlas ist aber eine Hypostase des Himmelgottes, den man allgemein als Zeus zu bezeichnen pflegt." Ad quam

ficationem eum habendum esse, Steudingio assentior [1]).

Idem autem, quod de Atlante perhibui, etiam de Tantalo valere, per se intellegitur. Nam Tantali quoque nomen ex stirpe τλα ortum est, hic quoque modo mons, modo heros vocatur, nec non grave quoddam onus humeris sustinere dicitur [2]). Neque igitur hoc loco Steudingio adstipuler, qui de Tantalo haud aliter quam de Atlante iudicans, Tantalum quoque montis personificationem esse perhibuit [3]).

Quod autem ad ceteros heroes: Cithaeronem Heliconem Ardettum Parnassum aliosque ab eodem Steudingio allatos, attinet [4]), eos omnes re vera a montibus denominatos esse vix denegari potest. Minime profecto talis montes personificandi consuetudo a Graecorum mentibus aliena fuit. Quae quidem res nullo modo magis conspicua facta est, quam ex iis, quae studia archaeologica nos docuerunt. Fr. Wieseler [5]) enim primus omnium permulta collegit anaglypha, quae personam quendam, quiete in monte sedentem, expressum habebant quibusque

---

sententiam firmandam Διός cognomina Ταλετίτας Ταλλαῖος Τάλως confert, quae omnia ab eadem stirpe τλα, ex qua Ἄτλας ortus est, deducere conatur. Sed ea potius cum verbo θάλλω cohaerere certis argumentis H. Usener (Göttern. 130 et 134) probavit.

1) Steuding in Rosch. Ausf. Lex. II 2109 „Vor allem aber scheint Atlas selbst ursprünglich nur eine Verkörperung der den Himmel scheinbar tragenden Berge zu sein."

2) De veterum testimoniis, quae huc pertinent, vide Rosch. A. L. II 2110.

3) „In ihm (Tantalos) mag jedoch spezieller der bei vulkanischer Erschütterung Einsturz drohende Gipfel des Berges Sipylos verkörpert worden sein." Steud. R. A. L. II 2110.

4) Rosch. A. L. II 2111.

5) Fr. Wieseler, Nachr. v. d. Kön. Ges. d. Wiss. u. d. Georg-Augusts Univ. Göttingen 1876. pp. 63—85.

omnibus montium personificationes repraesentari perhibuit. Qui licet vir doctus, nimio studio tales montium personificationes indagandi perductus, iusto numero plures fortasse huic generi attribuerit [1]), tamen, quod ad summam rei attinet, minime veritatem egressus esse mihi videtur.

Sine ulla enim dubitatione affirmaverim montes: Cithaeronem Idam Latmum Caucasum Aetnam Tmolum Cynthum Albanum, in anaglyphis hominum effigiebus effictos esse [2]). Praesertim nummi montium personificationum exempla exhibent complura eaque certissima. In his Olympus Peon Haemus Ida Rhodope aliique montes haud pauci saepenumero in nummis hominis sedentis figura expressi sunt; quos quidem omnes enumerare aut fuse pertractare longum est; — alii copiose iam hac de re egerunt [3]) — mihi vero sufficit paucis exemplis ostendisse, re vera olim Graecorum moris fuisse, ut montes colerent tamquam personas divinos. Documenta autem et specimina, ex anaglyphis nummisque desumpta [4]), omnia temporibus Alexandrinis non antecedunt. Dixerit igitur fortasse quispiam hanc superstitionem posterioribus demum temporibus ortam esse, neque

1) De qua re vide A. Gerber, Suppl. d. N. Jahrb. f. class. Phil. Band XIII Abth. VI Berge.

2) Cf. O. Schultz, Die Ortsgottheiten in der griech. und röm. kunst. Berlin 1889. Steuding, Rosch. Ausf. Lex. II 2121.

3) Cf. Rosch. A. L. II. 2126, ubi auctores, qui hac de re scripserunt, commemorantur; quibus tamen unus addendus est Behrendt Pick, „die Ant. Münz. von Dacien und Moesien". Berl. 1898 pp. 194, 342 sqq.

4) De effigiebus, quae in picturis parietinis et crustis vermiculatis expressae sunt, consulto non locutus sum, quoniam exempla, quae ex illis fortasse repeti possunt, omnia quam maxime dubitationi obnoxia sunt.

antea exstitisse. Attamen iam saepius summo iure a viris doctis [1]) observatum est, omnes illas superstitiones humiliores, eas dico, quae ad arborum lapidum animalium daemonum inferiorum cultum pertinent, quarum vestigia non, nisi aetate Hellenistica conspicua sunt, iam inde a priscis temporibus exstitisse. Deorum sublimiorum venerationi pedetemptim cesserunt quidem, ut per longum aevum plane exstinctae esse viderentur; sed postea, cum ipsa deorum sublimiorum auctoritas magis magisque imminueretur, antiquissimae superstitiones rursus in clariorem lucem prodierunt. Quae cum ita sint, minime temerarium mihi videtur contendere montium quoque adorationem, quam non, nisi e monumentis posterioris aetatis cognovimus, priscis iam temporibus floruisse. Apud Graecos igitur aliquando consuetudinem montes tamquam fetissa venerandi usitatam fuisse, variis documentis probavisse mihi videor, quamquam huiusce rei exempla, quod sciam, temporibus historicis exstant nulla. Deorum contra cultus in ipsis montium cacuminibus tam pervulgatus fuit et tot auctorum testimoniis confirmatur, ut operae pretium sit paulo accuratius inquirere, quinam fuerint hi dei quibusque caerimoniis in locis editis culti sint.

---

1) Cf. Mannhardt, Wald- und Feldk. II 209. E. H. Meyer, Indog. Myth. I 102.

# CAPUT III.

## De singulis diis Graecis in montibus cultis.

---

### DE *Διός* VENERATIONE.

---

Ordior a locis editis, in quibus *Ζεύς* venerationi erat. *Διί* enim prae ceteris deis montium cacumina erant consecrata, quocirca Maximus Tyrius [1]) de eo haec praedicavit: *ἐπεφήμισαν δὲ καὶ Διὶ ἀγάλματα οἱ πρῶτοι ἄνθρωποι, κορυφὰς ὀρῶν, Ὄλυμπον, καὶ Ἴδην, καὶ εἴ τι ἄλλο ὄρος πλησιάζει τῷ οὐρανῷ.*

Permulta quoque *Διός* cognomina eodem tendunt. Teste Hesychio *Ἐπάκριος* vocabatur *ὁ Ζεύς· ὁ ἐπὶ τῶν ἄκρων τῶν ὀρῶν ἱδρυμένος. ἐπὶ γὰρ τῶν ὀρῶν τοὺς βωμοὺς αὐτῷ ἵδρυον ὡς ἐπιπολύ.* Cf. Etym. Magn. Eusth. p. 1747, 59. Seldeni opera Vol. II pars I. De Dis Syris syntagma II. p. 385.

Alia cognomina, quae huc faciunt haec sunt:

*Ζεὺς Ἀκραῖος,* quod cognomen ad indicandum *Δία,* sive summis in montibus, sive in arcibus cultum adhibetur. Cf. Spanhem. observ. in hymn. in Iovem V. 82. Keil, Philol. XIV 454. Nic. Dam. fr. 39. Liv. XXXVIII 1.

---

1) Max. Tyr. Diss. VIII.

*Ζεὺς Κορυφαῖος·* C. I. G. 4458. Bull. de Corr. Hell. I 308.

*Ζεὺς Καραιός.* Hesych. s. v. *Καραιός. Ζεὺς παρὰ Βοιωτοῖς οὕτω προσαγορεύεται ὡς μέν τινές φασι διὰ τὸ ὑψηλὸς εἶναι, ἀπὸ τοῦ κάρα.* Cf. Phot. p. 138, 8, ubi *Κάριος* legitur minus recte.

*Ζεὺς Ὕψιστος.* Hoc nomen, quo plerumque scriptores utuntur, ut dei supremam dignitatem indicent, huc quoque pertinere videtur [1]). Optime praeterea cum hoc deo *Ζεὺς Ὕπατος* comparari potest [2]), cui in Boeotiae summo monte *Ὑπάτῳ* templum erat exstructum [3]). Nec non hoc loco commemorandi sunt: *Ζεὺς (καθ) ἥμενοσ ὕψι, ὑψόθ' ἐών, ὑψιβρεμέτης, ὑψίζυγος* [4]), *ὑψιμέδων* [5]), *ὑφινεφής* [6]), de quibus omnibus H. Usener [7]) rectissime haec observavit: «das alles sind blosse wandelungen des begriffes gott in der Höhe».

Mirum igitur non est montium cacumina Graecis aptissima visa esse loca, ubi aras *Διί* consecrarent [8]). De qua re, quae Hesychius docet, supra commemoravimus [9]). Apud Eustath. ad Od ξ 2 p. 1747, 59 legimus: *Ζεὺς ἐπάκριος, ᾧ ἐπ' ἄκρων ὀρέων ἱδρύοντο βωμοί.* Et in Etym. Magn. s. v. *Ἐπάκριος Ζεύς· Ἐπ' ἄκρας γὰρ τῶν ὀρῶν ἱδρύοντο βώμους τῷ Διί, οἷον τοῦ Ὑμηττίου, τοῦ Παρνηθίου.*

1) Hinc apud Pausaniam II 2,8 *Ζεὺς Χθόνιος* opponitur *Διὶ Ὑψίστῳ* Cf. S. Wide, Lak. Kulte 14.

2) Cf. e. g. Aeschyl. Agam. 55 sq.

3) Paus. IX 19,3. Strab. IX 412.

4) Haec cognomina apud Homerum passim reperiri vix est, quod moneam.

5) Hesiod. Theog. 529.

6) Pind. Ol. V 17.

7) H. Usener, Göttern. 50.

8) Cf. De Molin, „de ara apud Graecos". Berl. Dissert. 1884 pp. 33 sqq. Etiam *Διός* signa saepenumero in iugis montium ponebantur. Cf. e. g. Paus. I 32,2. *ἐν Ὑμηττῷ ἄγαλμά ἐστιν Ὑμηττίου Διός* et paulo post *καὶ Ἀγχεσμὸς ὄρος ἐστὶν οὐ μέγα καὶ Διὸς ἄγαλμα Ἀγχεσμίου.* Cf. praeterea Paus. IX 19,3. 41,6. 9) Cf. pag. 27.

*Βωμὸν Διὸς τοῦ Λυκαίου* in Lycaeo, Arcadiae monte, Pausanias memorat (VIII 38, 7), in Hymetto *Διὸς ὄμβριον* aram (Paus. I 32, 2), in Parnasso aras *Διὸς Σημαλέου, Διὸς Ὀμβρίου, Διὸς Ἀπημίου* (Paus. I 32, 2); in Arachnaeo, Argolidis monte, *βωμοί εἰσι Διός τε καὶ Ἥρας· δεῆσαν ὄμβρου σφίσιν ἐνταῦθα θύουσι.* (Paus. II 25, 10). Praeterea apud Pausaniam enumerantur: ara *Διὸς Ἰθωμάτα* in Ithome (Paus. IV 12, 7), in Cithaerone ara, in qua festis Daedalensibus *Διὶ καὶ Ἥρᾳ* sacra faciebant. (Paus. IX 3, 7). *Βωμὸς ἐρισθένεος Κρονίωνος* in Helicone memoratur apud Hesiodum (Theog. 4), *Διὸς Ἰκμαίου βωμός* in Ceae insulae monte apud Apollonium Rhodium (Argon. II 522 cum schol.), *Διός* ara in monte Ida apud Homerum (*Θ* 58, *Χ* 171) [1]), in Cenaeo, Euboeae promontorio, apud Sophoclem (Trach. 238, 753, 993. Cf. Apoll. Bibl. II 7, 7. Aesch. fr. 29), in summo Oeta apud Sophoclem (Trach. 200, 1191); *βωμὸν Ἀταβυρίου Διός* Apollodorus (Bibl. III 2, 1) memorat; summo in insulae Cephalleniae monte Aeno de Bosset aram Iovis e cinere structam invenit (Cf. Welcker, Gr. Götterl. I 171 Strab. X 456. Apoll. Rhod. II 297); postremo arae *Διὸς Ἑλληνίου* summo in monte Aeginae insulae Pindarus mentionem facit (Nem. V 10. cf. Paus. II 30, 4 Isocr. Euag. § 14) et Etym. M. s. v. *Ἀφέσιος* commemorat *βωμὸν ἀφεσίου Διός* summo in iugo quodam Argolidis [2]).

1) Huc quoque referendi sunt versus Aeschylei apud Platonem (R. publ. III p. 391 E) et partim apud Strabonem (XII p. 580) relati:

*Οἱ θεῶν ἀγχίσποροι.*
*Οἱ Ζηνὸς ἐγγὺς ὧν κατ' Ἰδαῖον πάγον*
*Διὸς πατρῴου βωμός ἐστ' ἐν αἰθέρι·*

2) Confundi videtur *Ζεὺς ἀφέσιος* cum deo, qui in Apesante, Argolidis monte, colebatur cuique cognomen erat *Ζεὺς Ἀπεσάντιος*. De quo cultu, quae sentio, infra dicam. Cf. pag. 39.

Sed inter tot scriptorum veterum de *Διί* in montibus culto testimonia, digna imprimis sunt, de quibus paulo accuratius agatur ea, quae de *Διί Λυκαίῳ* Arcadio deo cognita habemus. Nam in illo cultu pervetusto dilucide conspicimus, quibus caerimoniis ritibusque divinis remotissimis temporibus deos in summis montibus colere soliti sint Graeci. Rudes enim incultique Arcades, *προσελήναιοι* illi, qui montibus undecumque circumclusi, a commercio cum reliquis Graecis prohibiti erant, priscorum morum vestigia diutissime retinuerunt.

Videamus igitur, quid scriptores veteres de illo cultu commemorent.

Supremo in vertice montis *Λυκαίου* sive *'Ολύμπου* [1]) tumulus quidam pro ara *Διὸς τοῦ Λυκαίου* erat. Ante aram duae erant constitutae columnae, ad solis ortum conversae, in quibus aquilae inauratae insistebant [2]). Aedes nulla erat; deo igitur pristino more sub divo sacra faciebant.

Homines, plerumque pueros, ut videtur [3]), *Διὶ Λυκαίῳ* immolabant. Hoc sacrificium immane atque ferum, quod nobis documento est, Graecos remotissimis temporibus populis incultis et semibarbaris haud superiores fuisse [4]),

---

1) Paus. VIII 38,2.

2) Paus. VIII 38,7.

3) Paus. VIII 2,3. Varro apud August. de C. D. XVIII, 17. Plin. N. H. VIII 82. Cf. Wachsmuth, Alterth. II 2, 224 sqq.

4) Cf. Andrew Lang, Myth. rit. a. rel. I Chapt. IX.

Robertson Smith, Enc. Brit. Vol. XXI p. 136 s. v. „sacrifice" hac de re haec habet: „it may be congrued that the human sacrifices offered to the wolf-Zeus (Lycaeus) in Arcadia were originally cannibal feasts" („of a wolftribe" addit vir doctus, cui proprium est usque quaque totemismi vestigia detegisse sibi videri.)

perdiu remansit; Theophrasti saltem aetate exstitisse, pro certo constat. Cf. Theophr. apud Porphyrium, de abst. II 27. *ἀφ' οὗ μέχρι τοῦ νῦν οὐκ ἐν Ἀρκαδίᾳ μόνον τοῖς Λυκαίοις, οὐδ' ἐν Καρχηδόνι τῷ Κρόνῳ κοινῇ πάντες ἀνθρωποθυτοῦσιν* [1]).

Nonnulli hoc loco nisi, contenderunt humanas victimas usque ad saeculum tertium post Christum natum *Διὶ Λυκαίῳ* immolatas esse [2]). Verum huius opinionis fundamentum evertisse mihi videtur Bernays (Theophr. p. 188) probando, verba laudata a Porphyrio, e Theophrasto sumpta esse. Vocabula *μέχρι τοῦ νῦν* igitur non Porphyrii sed Theophrasti aetatem indicant. Pausanias de hisce hostiis haec habet: (VIII 38, 7) *ἐπὶ τούτου τοῦ βωμοῦ τῷ Λυκαίῳ Διὶ θύουσιν ἐν ἀπορρήτῳ· πολυπραγμονῆσαι δὲ οὔ μοι τὰ ἐς τὴν θυσίαν ἡδὺ ἦν, ἐχέτω δὲ ὡς ἔχει καὶ ὡς ἔσχεν ἐξ ἀρχῆς.* Reverenter, ut videmus, tamquam de rebus arcanis, loquitur Pausanias et ita, ut certi quidquam ex eius verbis efficere nequeamus. Dubito igitur, an minus recte Farnell [3]) ex hisce verbis collegerit, adhuc Pausaniae aetate exstitisse crudelia illa instituta. Immo ante Plinii tempus iam exoletum fuisse morem homines sacrificandi *Διὶ Λυκαίῳ* ipse Plinius testari videtur. Apud eum enim haec legimus (N. H. VIII 82):

«Itaque Agriopas, qui Olympionicas scripsit, narrat

---

1) Eadem fere legimus apud Platonem, Min. p. 315 c. Cf. etiam Rem publ. p. 565 d.

2) Cf. Stackelberg, Apollotemp. zu Bassae 121. Boettiger, Kl. Schrift, I 151. Welcker, Kl. Schr. III 162 Anm. 7.

3) L. R. Farnell, Cults of the Gr. St. I 41. „The king Lycaon offered a human child on the altar; and Pausanias seems to darkly hint at the survival of such a practice when he declares that he would rather not speak of the details of the sacrifice."

Demaenetum Parrhasium in sacrificio, quod Arcades Iovi Lycaeo humana etiamtum hostia faciebant, immolati pueri exta degustasse.» Quae verba auctore viro docto E. Meyer [1]) sic interpretanda esse censeo, Agriopae tempore non amplius in usu fuisse sacrificia humana, quae Demaeneti aetate etiamtum fiebant. Sed haec iam satis de victimis *Διὶ Λυκαίῳ* immolatis.

Aliud, quod Lycaei cultus habebat memoratu dignissimum, hoc est. In monte Lycaeo locus erat deo consecratus, ubi intrare nefas erat, qui locus hoc peculiare habere putabatur, quod, quicumque intra eius ambitum se immisisset, nullam omnino umbram redderet. *Τὸ δὲ ὄρος παρέχεται τὸ Λύκαιον καὶ ἄλλα ἐς θαῦμα καὶ μάλιστα τόδε. Τέμενός ἐστιν ἐν αὐτῷ Λυκαίου Διός, ἔσοδος δὲ οὐκ ἔστιν ἐς αὐτὸ ἀνθρώποις· ὑπεριδόντα δὲ τοῦ νόμου καὶ ἐσελθόντα ἀνάγκη πᾶσα αὐτὸν ἐνιαυτοῦ πρόσω μὴ βιῶναι· καὶ τάδε ἔτι ἐλέγετο, τὰ ἐντὸς τοῦ τεμένους γενόμενα ὁμοίως πάντα καὶ θηρία καὶ ἀνθρώπους οὐ παρέχεσθαι σκιάν·* [2]).

Iam satis de caerimoniis rebusque memorabilibus, quae ad cultum in monte Lycaeo pertinent, locuti sumus. Videamus nunc, quid de origine illius cultus observandum sit. Permulti sane viri docti [3]) de significatione

1) Cf. E. Meyer. Forsch. z. alt. Gesch. I 53 Anm. 1.

2) Paus. VIII 38,6. De ceteris veterum testimoniis, quae huc pertinent, vide Immerw. K. u. M. Ark. 7—9.

3) Cf. C. O. Muell. Dor. I 305 sq. Kruse, Hellas I 457. Lobeck, Aglaoph. 895. J. F. Lauer, Syst. d. gr. Myth. 180 sqq. K. Schwenck, Myth. d. Gr. 177. E. Gerhard, Gr. Myth. I § 195. O. Jahn, Ber. d. Sächs. Ges. d. Wiss. 1847 pp. 423 sqq. H. D. Mueller, Ueber den Zeus Lyk. Progr. Götting. 1851 et Myth. d. Gr. St. II 81 sqq. F. G. Welcker, Gr. Götterl. I 210 sqq. Mannhardt, Wald- u. Feldk. II 336 sqq. Robertson Smith, Encycl. Brit. Vol. XXI p. 136 s. v. sacrifice. W. Immerwahr, K. u. m. Ark. 1—24. Preller-Robert, Gr. Myth.[4] I 127 sq. E. Meyer, Forsch. z. a. Gesch. I 53—66. L. R. Farnell, the cults of the Gr. St. I 41 sq. H. Usener, Götternamen 199—216.

naturaque mythorum, qui cum illo deo Arcadico cohaerent, varias in partes disputaverunt. Quorum sententias singulatim pertractare et longum est et a consilio meo alienum. Unum hoc tantum dicam me assentiri illis, qui persuasum habeant, Lycaonem, qui primus sacra in monte Lycaeo instituisse et *Διί* ipsi filium suum epulum dedisse ferebatur, quocirca ab irato deo in lupum converteretur, olim Arcadum deum principalem fuisse; postea autem, cum deus superior *Ζεύς* eius loco successisset eiusque honores ad se traxisset, illum deum huic recessisse et non nisi in mythis superstitem remansisse. Si quis autem quaesiverit, quisnam fuerit ille deus priscus *Λυκάων*, sine ulla dubitatione affirmaverim, eum haud aliter quam *Δία Λυκαῖον* habendum esse in numero deorum, qui lucem orbi terrarum praebeant. Nam etymon vocis *Λυκάων* a radice *λυκα* («lux») derivandum est neque cum „*λυκο-ς*" («lupus») cohaeret[1]). Omnes igitur fabulae, quae ad Lycaonem in lupum transfiguratum spectant, aut posteriore aetate e falsa cognominis etymologia ortae sunt, aut, si sincerae sunt et ex ipso prisco cultu sumptae, hoc tamen e nomine *Λυκάων* effici nequit; nam non, nisi vana similitudo exstat inter verba *λυκάων* et *λύκος*, quae re vera nullo modo inter sese connexa sunt. Posteriori aetati fabulas attribuit Herm. Usener[2]), alte-

1) Cf. Ed. Meyer, Forsch. z. a. Gesch. I 61 Anm. 3. „**λυκα-ιος**, **λυκα-ων**, **λυκη-γενης** **λυκα-βας** sind Ableitungen von dem verschollenen nomen **λυκα** (**λυκη**) „Licht (Tag?)", und haben mit **λυκο-ς** (von dem z. B. **λυκο-οργος** stammt) nichts zu thun."

2) H. Usener, Göttern. 216 „Als der sprachliche Zusammenhang gelöst war, der das Verständniss der Wortbedeutung aufrecht hielt, begann die Volksetymologie ihr loses Spiel und machte den Gott zum Wolf."

ram opinionem, qua referuntur fabulae ad antiquissima tempora, cum re vera deus Lycaon sub animalis specie coleretur, debemus egregio historico Ed. Meyer [1]), cuius verba prorsus mea facio: «Bei der Verwandlung in den Wolf hat man später jedenfalls an dem Gleichklang mit *λύκος* gedacht. Aber *Λυκαῖος* bezeichnet den Zeus als Lichtgott wie *λυκηγενής*. Möglich wäre es, dass aus diesem Gleichklang die ganze Anschauung erwachsen wäre, aber viel wahrscheinlicher ist es, dass wir es hier mit einem der vielen Resten des Thiercultus bei den Griechen zu thun haben, dass ein in Wolfsgestalt verehrter Gott zum Lichtgott Zeus geworden ist.» Haec Meyeri sententia affirmari quoque videtur iis, quae de *Διί* in monte Pelio culto cognita habemus. Apud Dicaearchum enim haec legimus: (Dicaearch. Ed. Muell. Fr. H. Gr. II 263 § 8).

*ἐπ' ἄκρας δὲ τῆς τοῦ ὄρους (Πηλίου) κορυφῆς σπήλαιόν ἐστι τὸ καλούμενον Χειρώνιον καὶ Διὸς 'Ακραίου* [2]) *ἱερόν, ἐφ' ὃ κατὰ κυνὸς ἀνατολὴν κατὰ τὸ ἀκμαιότατον καῦμα ἀναβαίνουσι τῶν πολιτῶν οἱ ἐπιφανέστατοι καὶ ταῖς ἡλικίαις ἀκμάζοντες, ἐπιλεχθέντες ἐπὶ τοῦ ἱερέως, ἐνεζωσμένοι κώδια τρίποκα καινά· τοιοῦτον συμβαίνει ἐπὶ τοῦ ὄρους τὸ ψῦχος εἶναι.*

Ultima verba inde a *τοιοῦτον* continere ipsius Dicaearchi explicationem caerimoniae, cuius ratio eum plane fugerit, per se intellegitur. Equidem potius crediderim hunc sacerdotum morem, quo quotannis animalium pellibus induti montem ascenderent, prisca tempora

---

1) E. Meyer, F. z. a. G. I 61.

2) Veram lectionem **'Ακραίου** restituit Osannus, quae lectio postea duabus inscriptionibus iuxta montem inventis et formam **'Ακραῖον** exhibentibus comprobata est. Cf. Stark. Arch. Zeit. 1859 pp. 89 sq.

redolere, cum summo in monte Pelione deus nescio quis sub animalis specie venerationi esset. Nam res est notissima olim sacerdotes, qui in honorem talis dei sacrificia facerent, saepe animalium pellibus sese amicire solitos fuisse [1]). Postea autem, cum *Ζεὺς Ἀκραῖος* antiquissimum illum deum magis magisque loco suo depelleret, ambo cultus ita inter se conflati sunt, ut vix alter ab altero distingui posset. Quod si verum est, alterum iam hic habemus exemplum dei in loco edito culti, quod cum *Διὸς Λυκαίου* veneratione optime comparari potest.

Sed iam ab hoc cultu ad alios transeamus, qui huic proximi accedunt. Primo loco nominandus est *Ζεὺς Ἰθωμάτας*, qui in Messeniae monte Ithome venerationi erat. Mirum enim in modum *Διὸς Λυκαίου* cultus cum hoc congruit. Uterque deus in monte colebatur et, antiquissimis saltem temporibus, nullum templum nullamque statuam habebat, quae res summam horum cultuum vetustatem testatur [2]), utriusque in honorem ludi edebantur [3]), (*τὰ Λύκαια* in honorem *τοῦ Λυκαίου Διός*, *τὰ Ἰθωμαῖα* in honorem *τοῦ Διὸς τοῦ Ἰθωμάτα*), uterque deus in monte a nymphis nutritus esse ferebatur [4]), et summo in monte fontem sacrum habebat, qui cum caerimoniis

---

1) De qua re cf. F. Back, „De Graec. caerim. in quibus homines deorum vice fungebantur." A. Lang, Myth rit. a. rel. II 213. L. R. Farnell, Cults of the Gr. St. II 436 sqq.

2) Cf. Paus. IV 3,9 et IV 33,2 cum Paus. VIII 38,7.

3) Cf. Paus. IV 33,2 cum Paus. VIII 38,5 (De ceteris veterum testimoniis vide W. Immerw. K. u. M. A. 5.)

4) Cf. Paus. IV 33,1 cum Paus. VIII 38,3.

divinis arte erat coniunctus [1]), utrique denique deo olim homines immolabantur [2]).

Secundo loco observatu dignissimum est, etiam in Boeotiae monte Laphystio, ubi *Ζεὺς Λαφύστιος* inde a priscis temporibus colebatur, hostias humanas olim summo deo litatas esse. Cuius rei vestigia servavit fabula quaedam apud Pausaniam aliosque commemorata, qua Athamas olim, in monte Laphystio Phrixum et Hellen, filios suos, immolaturus, ab immani illo scelere prohibitus esse ferebatur a *Διί* ipso, qui arietem vellere aureo liberos in loca tuta transferre iuberet [3]). Etiam Herodoti aetate interdum maior natu gentis Athamantidarum tamquam victima deo offerebatur [4]). Quae sacrificia Platonis tempore nondum plane abolita fuerunt. In Minois enim dialogo [5]) haec legimus: (Min. p. 315 c.)

*ἐπεὶ αὐτίκα ἡμῖν μὲν οὐ νόμος ἐστὶν ἀνθρώπους θύειν ἀλλ' ἀνόσιον, Καρχηδόνιοι δὲ θύουσιν ὡς ὅσιον ὂν καὶ νόμιμον αὐτοῖς ..... καὶ μὴ ὅτι βάρβαροι ἄνθρωποι ἡμῶν ἄλλοις νόμοις χρῶνται, ἀλλὰ καὶ οἱ ἐν Λυκαίῳ [6]) οὗτοι καὶ οἱ τοῦ Ἀθάμαντος ἔκγονοι οἵας θυσίας θύουσιν Ἕλληνες ὄντες.*

Hisce cultibus, qui omnes remotissimorum temporum vestigia conservant, apte adiungitur dei Dodonaei cultus

---

1) Cf. Paus. IV 33,1 cum Paus. VIII 38,3.

2) Cf. Paus. IV 19,3 Euseb. praep. evang. IV 16,12. Clem. Alex. Protr. III p. 36 cum locis apud Immerw. exscriptis (K. u. M. A. 10—12).

3) Cf. Paus. IX 34,5. Herod. VIII 197. Schol. Apoll. Rh. Arg. II 653.

4) Cf. Herod. et Apoll. Rh. l. l.

5) Licet hic dialogus Platoni ipsi non attribuendus sit, ante eius aetatem certe scriptus non est. Cf. A. Boeckh, „Comment. in Plat. qui fertur Minoëm."

6) *ἐν Λυκαίῳ* pro vulg. *ἐν τῇ Λυκίᾳ* legendum puto cum Welckero (Kl. Schr. III 162).

pervetustus. Nam ille quoque deus in monte quodam Thesprotiae oracula edidisse videtur. Aeschylus saltem loquitur de excelsa Dodona, ubi oraculum sedesque est Θεσπρωτοῦ Διός [1]); nec non eodem tendere videntur ea, quae Strabo de oraculi situ commemorat: (VIII 328).

Ἡ Δωδώνη τοίνυν τὸ μὲν παλαιὸν ὑπὸ Θεσπρωτοῖς ἦν καὶ τὸ ὄρος ὁ Τόμαρος ἢ Τμάρος, ὑφ' ᾧ κεῖται τὸ ἱερόν. Nam Welcker, mea quidem sententia, rectissime observavit, Strabonem hisce verbis usum esse ad indicandum, deum in clivo montis, haud in summo vertice cultum fuisse [2]). Praeterea huc quoque faciunt Iliadis versus notissimi: (Π 232 sq.).

> Ζεῦ Ϝάνα, Δωδωναῖε, Πελασγικέ, τηλόθι ναίων,
> Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου κ. τ. λ.

ubi Zenodotus pro δυσχειμέρου scripsit πολυπίδακος. Nam, licet hi versus ad Thessaliae cultum quendam, de quo praeter haec nihil cognitum habemus, pertinere videantur, Zenodotus tamen, mea quidem sententia, eos ad Thesprotiae cultum rettulit et ob id ipsum, quod vocem δυσχειμέρου huic cultui non convenire putaret, alteram lectionem πολυπίδακος proposuit. Ergo Zenodoti sententia dei Dodonaei sacrum in monte situm fuisse, perquam verisimile duco [3]).

Variis igitur exemplis demonstrasse mihi videor, Graecis

1) Aeschyl. Prom, 830 sq. τὴν αἰπύνωτόν τἀμφὶ Δωδώνην, ἵνα
μαντεῖα θῶκός τ' ἐστὶ Θεσπρωτοῦ Διός.
Etiam in Supplicibus vs. 253 ὄρη Δωδωναῖα commemorantur.

2) Welcker, Gr. Götterl. I 202: „so dass bei Strabon Τόμαρος ἢ Τμάρος ὑφ' ᾧ κεῖται τὸ ἱερόν nicht von dem Fusse des Bergs, sondern, mit Bezug auf dem Gipfel des Gebirgs, vom Abhang verstanden werden muss."

3) G. Welcker, Gr. Götterl. I 199 Anm. 1.

iam remotissimis temporibus summis in montibus deos veneratione prosecutos esse. Quod autem *Ζεύς* complures hos cultus, sicut supra vidimus, ad se traxit, id minime est, quod miremur. Nam summus ille deus, praeterquam quod lucis auctor putabatur [1]), etiam nebularum et imbrium arbiter atque moderator erat, quocirca multa montium cacumina ei erant consecrata. Montium enim vertices, quos nebulae obsidere solent, cum pluviae instant, imbrium praesagia „σημεῖα ὑδάτων" [2]) praebebant agricolis, qui nihil vix tantopere desiderabant, quam imbrium vim salutarem. Nam aridi et siticulosi Graeciae agri, praesertim ii, qui in partibus orientalibus siti sunt, semper quam maxime aquarum penuria laboraverunt [3]); quocirca Pindarus Aeschylus Euripides, summi sane poetae Graeci, haud dedignati sunt imbrium benignitatem carminibus celebrare [4]). Inde igitur plane intellegimus, cur Graeci haud raro montes

---

1) Cf. quae de *Διὸς Λυκαίου* cultu commemoravimus pp. 33 sq.

2) Cf. Theophrast. De sign. temp, I 3; II 31, 34; III 43, 45, 47; IV 51. Idem plura exempla „*ὀρῶν σημαντικῶν*" commemorat. Haec sunt: Hymettus minor et maior (I 20), Pelion (I 22), Aeginae mons *Διὸς Ἑλλανίου* (I 24), Parnes Brilettus Olympus Athos (III 43).

3) Cf. Neum. u. Partsch, Physik. Geogr. v. Griechenl. p. 76: „aus dem vor Dürre verschmachtenden Osten des Landes stiegen die Gebete empor zum Himmelsgott als dem bald streng versagenden, bald gnädig spendenden Herrn atmosphärischer Feuchtigkeit."

Graeci etiam nunc aquarum inopia saepe premuntur, quo factum est, ut locutio „*σὰν κρυὸ νερό*" i. e. „quasi aqua frigida" in proverbium cesserit. Quae quidem locutio ab iis adhibetur ad indicandam rem, quae prae ceteris in deliciis habent. Cf. C. Wachsmuth, „Das alte Griechenl. im neuen" p. 51. Anm. 19.

4) Pindari carmen primum incipit a verbis „*Ἄριστον μὲν ὕδωρ*". Cf. praeterea Aeschyli fragm. apud Athen. XIII p. 600 et Euripidis fragm. apud Athen. XIII p. 599 f.

elegerint, in quibus *Διί ὑετίῳ* sive *ὀμβρίῳ* precarentur, ut imbres mitteret, in quibus huic deo aras struerent et templa aedificarent [1]).

Pertinet huc historia de *ἱερῷ τοῦ Πανελληνίου Διός,* quod Aeacus summo in Aeginae monte Panhellenio condidisse ferebatur [2]). Narrabatur enim, olim, quum diuturna siccitate Graecia laboraret, legatos ex singulis Graeciae urbibus supplices adiisse Aeacum, qui ab eo peterent, ut calamitatis deprecationem susciperet. Ille deinde, summo in monte Panhellenio sacris rite peractis et votis nuncupatis, a deo impetravisse dicitur, ut Graecia rursus imbrium compos fieret. In cuius rei memoriam Aeginetae summo in monte Panhellenio *Διί* aedem aedificaverunt et sacra instituerunt.

Cum hoc *Διὸς Πανελληνίου* cultu, teste Pausania [3]), veneratio *Διὸς Ἀφεσίου,* qui in monte Megarae urbi adiacenti colebatur, cohaeret. Quo modo cohaereat, ex Pausaniae quidem verbis corruptis non satis elucet, sed fortasse inde horum deorum connexio exstitit, quod ab utroque deo summo in monte imbres exposcerentur. Nam etiam *Δία Ἀφέσιον* fuisse deum pluvialem, cognominis etymologia comprobare videtur [4]).

1) Etiam nostris diebus Graeci frequenter pompas sollemnes ad loca edita ducunt, ut imbres precibus exposcant. De qua re cf. Neum. u. Partsch, „Physik. Geogr. v. Griechenl." p. 79.

2) Cf. Paus. II 29,7 sq. 30,4. Isocr. Euag. § 14. Pind. Nem. V 10.

3) Paus. I 44,9.

4) Cognomen a verbo *ἀφίεναι* „dimittere" derivatum indicare videtur deum, qui imbres dimittat. Ex eadem stirpe etiam ortus est, si quid video, **Ζεὺς Ἀπεσάντιος**, cui in arduo Argolidis monte Apesante Perseus olim rem divinam fecissse dicebatur. Cf. Paus. II 15,3. Steph. Byz. s. v. *Ἄπεσας* Etym. Magn., ubi **Ζεὺς Ἀφέσιος** et **Ζεὺς Ἀπεσάντιος** inter sese confunduntur. Hesiod. Theog. 331. Pseudo-Plut., de fluv. et mont. nom. 18 §§ 4 et 9. Callim. fr. 82 (ed. Schneid.).

Narrationibus hisce Aeginetorum de Aeaco, imbrium deprecatore, haud dissimilis est Ceorum de heroe suo Aristaeo fabula[1]). Narrabant enim, cum aliquando circa Sirii ortum ardor solis atque imbrium defectio agros fertiles insularum Cycladum vastavisset, antiquos Ceos oraculi responsis obsecutos Aristaeum, Apolline ac Cyrene natum, oravisse, ut ex urbe Phthia sibi subveniret. Eorum precibus perductum Aristaeum, Ceam profectum, ibi ara *Διὸς Ἰκμαίου* in loco excelso aedificata, huic deo et sideri Siro sacra peregisse[2]); quibus factis etesiarum flatus pluvias rursus attulisse et periculum siccitatis avertisse. Inde Cei Aristaeum tamquam deum colere solebant.

Ex his igitur iam clarius intellegitur, quid sit, quod Dicaearchus l. l. narrat de pompa illa in montis Pelii verticem acta sub tempus orientis Caniculae, quando aestus sit gravissimus. Nimirum montem adscendebant, ut a *Διί* imbres impetrarent. Quid quod etiam in monte Lycaeo a *Διὶ Λυκαίῳ* imbres petebantur? Qua de re haec docet Pausanias[3]). Quodsi forte diuturna siccitate solum Arcadium laborat atque segetes exarescunt, *Διὸς Λυκαίου* sacerdos ad aquam fontis, cui nympha Hagno nomen dedit, cum precatione conversus riteque

---

1) Cf. Apoll. Rh. Arg. 498 et 522 cum scholiis copiosissimis. Diod. Sic. IV 81 et 82. Theophr. de vent. II 14. Pind. Pyth. IX.

2) Etiam Apollonii aetate Ceae incolis in more erat sub ortum Caniculae sacra facere. Cf. Arg. vs. 524 sq:

*Κέῳ δ' ἔτι νῦν ἱερῆες*
*ἀντολέων προπάροιθε κυνὸς ῥέζουσι θυηλάς.*

Cf. praeterea Heracl. Pont. apud Cicer. Divin. I 57.

3) Paus. VIII 38,4.

re divina peracta, ramum querceum in summum fontem immittit; commota aquae superficie, vapor quidam caliginosus sursum versus oritur; qui vapor undecumque nebulas attrahens totum coelum nubibus obducit; illae deinde in terras aridas delapsae, segetibus vim salutarem rursus afferunt.

Haec igitur de variis modis, quibus *Ζεὺς ὑέτιος* sive *ὄμβριος* in summis montibus colebatur [1]). Cum quibus cultibus arte cohaerere mythos ad sacrum *Διὸς καὶ Ἥρας* connubium spectantes viri docti Neumann et Partsch, mihi saltem, probaverunt. Summo enim iure perhibuerunt, fabulas ad illum „*ἱερὸν γάμον*" attinentes, omnes repraesentare imbrium benignitatem, terras sitientes fecundantem [2]). Primo loco huc pertinet venusta illa narratiuncula, quam nemo est, qui ignoret, *Διὸς ἀπάτην* dico. *Ἥρα*, ut mariti in Ida sedentis animum a pugna avertat, consilium eum blanditiis deleniendi capit. Cesto ab *Ἀφροδίτῃ* impetrato et *Ὕπνῳ* comite assumpto, bene uncta atque ornata in Gargarum Idae verticem festinat, ubi *Ζεύς* amore et cupiditate uxoris exardescens eam sic alloquitur: «ne quis deorum amplexus nostros speculetur, nebulis aureis nos involvam»; deinde eam com-

---

1) De aris huic deo consecratis in Parnasso et Hymetto montibus supra iam locutus sum. Cf. p. 29.

2) C. Neum. und J. Partsch, Phys. Geogr. v. Griech. p. 78 „die „heilige Vermählung" war an vielen Cultorten der Ausdruck für die ersehnte Benetzung des Bodens mit dem Regen und Thau des Himmels, an der für die Griechen die Entscheidung über Gedeihen oder Hinwelken alles Lebenden hing. Als ebensoviele Stätten der inständigen Bitte um Regen können wir deshalb die zahlreiche Plätze alter Verehrung des Beilagers des Zeus mit der Hera betrachten."

plectitur, dum undique flores varii viridaeque herbae e terra emicant [1]).

Cuius narrationis veram significationem optime perspexit Vergilius [2]), qui hisce versibus imitatur Homerum:

Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether
Coniugis in gremium laetae descendit et omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus.

Eodem respicit fabula de *Διός* et *Ἥρας* nuptiis, quae inter Argolidis indigenas tradebatur. Quam fabulam Aristoteles narrat in scholiis ad Theocritum XV 64.

*Ζεύς* olim cupiditate uxoris, in monte Prone sedentis, toto pectore flagrans eique supervenire cupiens, in avem cuculum se convertit et furtive in uxoris genibus considens, eam amplexu occupat. Hinc in Argolidis monte, qui *Θόρναξ* sive *Κοκκύγιον* dicebatur, Argivi rem divinam faciebant *Διί*; *Ἥρᾳ* contra in monte opposito Prone. Utriusque numinis aedes usque ad Pausaniae aetatem in summis montibus exstitit. Cf. Paus. II 36, 1 sq.

*Ἔστι δ' οὖν ὁδὸς καὶ ἐς ταύτην (τὴν πόλιν Ἁλίκην) τοῦ τε Πρωνὸς μέση καὶ ὄρους ἑτέρου Θόρνακος καλουμένου τὸ ἀρχαῖον· ἀπὸ δὲ τῆς Διὸς ἐς κόκκυγα τὸν ὄρνιθα ἀλλαγῆς λεγομένης ἐνταῦθα γενέσθαι μετονομασθῆναι τὸ ὄρος φασίν. Ἱερὰ δὲ καὶ ἐς τόδε ἐπὶ ἄκρων τῶν ὀρῶν, ἐπὶ μὲν τῷ Κοκκυγίῳ Διός, ἐν δὲ τῷ Πρωνί ἐστιν Ἥρας.*

---

1) Iliad. Ξ 346 e. q. s. *ἦ ῥα καὶ ἀγκὰς ἔμαρπτε Κρόνου παῖς ϝὴν παράκοιτιν*
*τοῖσι δ' ὑπὸ χθὼν δῖα φύεν νεοθηλέα ποίην,*
*λωτὸν ἐϝερσήεντα ἰδὲ κρόκον ἠδ' ὑάκινθον*
*πυκνὸν καὶ μαλακόν, ὃς ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ' ἔϝεργε*

2) Verg. Georg II 325 e. q. s. Cf. Lucret. I 250 sq.

Etiam in Boeotia ille „ἱερὸς γάμος" celebrabatur festis daedalorum, quae dicuntur. Narrabatur enim, Ἥραν aliquando marito iratam in Euboeam secessisse, Δία tamen eam placare cupientem, ad Cithaeronem Plataearum regem venisse, ut ab eo consilium peteret. Illo auctore Ζεύς simulacrum ligneum, quod formam muliebrem referret, fabricari iussit. Quo simulacro in plaustrum imposito, simulavit se Aesopi filiam Plataeam, nuper sibi desponsam, circumvehere. Ἥρα vero, cum id ad eius aures perveniret, ilico invidiosa accurrit et velo persciso, ligneam esse effigiem comperit, quam pro Διός nova nupta habuerat; minime tamen indignata, quod a marito decepta erat, laeto animo cum eo in gratiam rediit. Cuius rei in memoriam Plataeenses et privatim festa celebrabant „Δαίδαλα μικρά", nam apud Boeotios simalacra illa δαίδαλα nuncupabantur, et praeterea una cum ceteris Boeotiae civitatibus certis temporibus Δαίδαλα μεγάλα agebant; quae festa tali fere ritu peragebantur. Singulae civitates, constituto quodam die, suum quaeque daedalum ad Aesopi ripam in unum locum conferebant. Inde, signis in curribus impositis pronubisque insuper in eos sublatis, pompam ducebant in Cithaeronis verticem. Ibi ara lignea erat parata, in qua hostias Διί et Ἥρᾳ cum daedalis concremarent; quae ara ipsa simul cum iis, quae ei erant impositae igne consumebatur. Haec Pausanias de caerimoniis

1) Sic fere apud Pausaniam (IX 3,1 sqq.) commemoratur fabula, quae, quod ad summam rei attinet plane congruit narrationi a Plutarcho (apud Euseb. praep. evang. III 16) traditae. Cithaeronis tantum partes Alalcomeneus, Plataeae Daedala agit.

ritibusque daedalorum docet. Quanta annorum intervalla inter singulorum festorum celebrationes intercesserint, huius rei parum accuratam notitiam habemus. Pausanias narrat, interpretem antiquitatum Plataeensium dixisse sibi, daedala minora agi septimo quoque anno; addit tamen sibi ipsi hoc temporis spatium nimis longum videri, licet iustum annorum numerum indicare nequeat. Daedala maiora sexagesimo quoque anno celebrabantur, idque hanc ob rem fieri solebat, teste Pausania, quia per sexaginta annos sollemnia intermissa fuissent, illo tempore, quo Plataeenses urbis exsules fuissent. Falso tamen haec perhibuit ὁ περιηγητής; nam re vera numquam diutius quam quadraginta unum annos Plataeenses patria extorres fuerunt [1]). Videmus igitur annorum numeros, quibus daedala minora et maiora agebantur, minus accurate a Pausania traditos esse. Praeter illud autem hac de re nullum aliud exstat testimonium vetus. Quid mirum igitur, quod viri docti in interpretandis hisce temporum rationibus varias ingressi sunt vias? Nihil tamen, mea quidem sententia, assecuti sunt, praeterquam quod clare ostenderunt irritum esse recentioribus interpretibus eas res explicare conari, quarum ratio veterem scriptorem ipsum fugerit. Ne Muellero quidem successit annorum numeros a Pausania memoratos probabili modo interpretari. Putabat enim in daedalis minoribus computandis rusticos Boeotios rationem habuisse annorum ad cursum lunae descrip-

1) Cf. C. O. Mueller, Orchom. u.d. Min. [2] 216: „Die Platäer waren das erstemal, van Ol. 88,1 bis 98,2 nur ein und vierzig, das andremal, van 101,4 bis 110,3 fünf und dreissig Jahre ohne Vaterland gewesen.

torum, maiora autem festa mensos esse sacerdotes annis, qui solstitiali circumaguntur orbe. Ita nonum quodque festum daedalorum minorum, quae septimo quoque anno lunari agebantur, cum maiorum celebratione, quae sexagesimo quoque anno solstitiali fiebat, in unum confluebat, dummodo sumamus unumquodque daedalorum minorum uno die ante iustum temporis spatium septem annorum lunarium peractum esse [1]). Iam supra dixi Muelleri opinionem parum mihi placere. Quis enim Boeotiae genti, cuius ingenii tarditas famosa sane quondam erat, tantam astrologiae scientiam attribuat, ut credat, haec omnia tam subtiliter ab iis computata esse? Praeterea, etiam si hoc omittamus, nonnulla tamen restant in Pausaniae narratione, quae contra Muelleri sententiam frontibus adversis repugnent. Cuius rei, ut afferam exemplum, prorsus obscurum est, qua ratione interpretanda sint ea, quae Pausanias de quatuordecim signis, tempore daedalorum minorum confectis, commemoravit. Quoque enim festo minore unum fabricabantur daedalum; ergo si Muellero adstipularemur, sumendum esset novem tantum simulacra festis maioribus praesto fuisse.

Sed utut est, daedalis minoribus et maioribus festum

---

1) C. O. Mueller, Orch. u. d. Min.[2] 217 sq. „Dies führt auf neun Perioden, deren jede aus sieben Mondjahren besteht, von denen jedesmal das letzte um einen Tag verkürzt werden musste. Nach Verlauf von sieben Mondjahren (6²/₃ Sonnenjahren) feierten die Platäer die kleinen Dädalen; bei der neunten Feier traf der Schluss des Monden- und Sonnenjahres überein, und ganz Böotien beging das grosse Dädalenfest. So betrachte ich den ganzen Cyclus als eine Festperiode der Dädalen, die Berechnung desselben als eine Sache der Priester, und die Art der Interkalation als einen uralten Versuch in grösseren Zeiträumen den gewöhnlichen Ackerkalender zu rektificiren.

celebrabatur τοῦ ἱεροῦ γάμου et celebrabatur in montis cacumine. Mirum tamen est inter tot et tam varias caerimonias, quibus, auctore Pausania, huius festi sacra conficerent Boeotii, nullam ad imbrium implorationem spectasse. Tales enim ritus in ceteris huiuscemodi cultibus omnibus, de quibus locuti sumus, minime defuerunt. Etiam in monte Arachnaeo Argivi nonnumquam avertendae siccitatis causa Διὶ καὶ Ἥρᾳ sacrificabant, qua de re haec habet Pausanias (II 25, 10):

Ἔστι δὲ ὄρος ὑπὲρ τῆς Λήσσης τὸ Ἀραχναῖον, πάλαι δὲ Σαπυσελάτων ἐπὶ Ἰνάχου τὸ ὄνομα εἰλήφει· βωμοὶ δέ εἰσιν ἐν αὐτῷ Διός τε καὶ Ἥρας· δεῆσαν ὄμβρου σφίσιν ἐνταῦθα θύουσι.

Ex iis igitur, quae attulimus clare iam apparet varios in modos Graecos deum «pluvium» summis in montibus coluisse. Vidimus praeterea, usque quaque fere in locis editis Διός nuptias celebratas esse. Quid quod etiam loca, ubi Ζεύς natus atque educatus esse ferebatur, praecipue in montibus sita erant? In his Cretenses prae ceteris gloriabantur Rheam quondam Croni furias timentem in suam insulam refugisse, ubi in montium latebris partum ederet, ubi deinde filium nymphis educandum mandaret. Vix unus erat in tota insula locus paulo superior, qui non harum rerum vestigia ostenderet. Sic Hesiodus [1]) in antro excelso montis Aegaei Rheam filium abscondisse commemorat, alii [2]) monti Idae aut huius montis summae parti, quae Πάνακρα nuncupabatur,

---

1) Hes. Theog. 483 sqq.

2) Cf. Call. Hym. in Jov. 4. 51. Schol. Pind. Ol. V 42. Diod. Sic. V 70. Apoll. Bibl. I 1, 6, 7. Schol. Apoll. Rh. Arg. III 134. Steph. Byz. s. v. Πάνακρα.

alii [1]) Dictae monti hunc honorem tribuerunt. Nec non Messenii *Διός* incunabula sibi vindicabant eaque in monte Ithome ponebant [2]). Praeterea Arcades compluribus in locis editis: in Lycaeone in Alesio in Thaumasio, *Διός* ortum atque educationem celebrabant. De qua re Immerwahr fuse et dilucide disputavit in studiis saepius iam a me laudatis [3]); cui tamen viro minime assentior perhibenti Arcades a Cretensium fabulis nihil omnino mutuatos esse [4]). Immo ipsa locorum nomina, ubi *Ζεύς* educari dicebatur, documento mihi sunt, re vera e Creta *Διός* cultum in Arcadiam translatum esse. Apud Pausaniam enim (VIII 28, 2) legimus: *Τὴν δὲ Γόρτυνα ποταμὸς διέξεισιν ὑπὸ μὲν τῶν περὶ τὰς πηγὰς ὀνομαζόμενος Λούσιος, ἐπὶ λουτροῖς δὴ τοῖς Διὸς τεχθέντος, οἱ δὲ ἀπωτέρω τῶν πηγῶν καλοῦσιν ἀπὸ τῆς κώμης Γορτύνιον.*

Et alio loco (VIII 38,2) haec habet: *τραφῆναι δὲ τὸν Δία φασὶν ἐν τῷ ὄρει τούτῳ (τῷ Λυκαίῳ)· καὶ χώρα τέ ἐστιν ἐν τῷ Λυκαίῳ Κρητέα καλουμένη...... καὶ τὴν Κρήτην ἔνθα ὁ Κρητῶν ἔχει λόγος τραφῆναι Δία, τὸ χωρίον τοῦτο εἶναι καὶ οὐ τὴν νῆσον ἀμφισβητοῦσιν οἱ Ἀρκάδες.*

Arcades autem iniuria hanc opinionem tuitos esse, ut ipsi sibi gloriam *Διός* educationis vindicarent, manifestum mihi videtur.

Ultimo loco mentio facienda est *Διὸς Ὀλυμπίου*, cuius cultus quam late per totam Graeciam pervulgatus fuerit,

---

1) Cf. Diod. Sic. V 70. Athen. IX p. 375 F. Dion. Halic. II 61. Max. Tyr. Diss. XVI 1.

2) Cf. Paus. IV 33,1.

3) Imm. K. u. M. A. p. 213—222. Cf. eiusdem auctoris studia, quibus titulus est „Rheasage und Rheacult in Arkad." Bonn. Stud. pp. 188 sqq.

4) Imm. p. 222: „Kretische Einflüsse wurden nirgends ermittelt."

nemo nescit. Summo in monte Olympo sedem habere putabatur[1]). Si quis autem quaesiverit, ubinam terrarum ille Olympus situs fuerit, vix habebo, quae respondeam; saltem certum quendam locum huic monti attribuere non ausim. Viri docti vulgo Olympum, a quo *Ζεύς* denominatus est, montem Thessalicum intellegunt[2]). De quorum opinionibus, ut clare dicere possim, quae sentiam, e re erit paucis commemorare, quid veteres ipsi de hoc monte tradiderint. Apud eos complures enumerantur Olympi. Hesychius de quattuordecim montibus huiusce nominis loquitur s. v. *Μυσίων Ὀλυμπίων· ἐπεὶ πλείονές εἰσιν Ὄλυμποι Μακεδονίας καὶ Θετταλίας· ἔνιοι δὲ δεκατέσσαρας ἠρίθμησαν.* Et in schol. ad Apoll. Rh. Arg. I 598 sex Olympi commemorantur ..... *Ὄλυμποι δέ εἰσιν ἕξ, Μακεδονίας, Θετταλίας ..... καὶ Μυσίας καὶ Λυκίας καὶ Ἤλιδος καὶ Ἀρκαδίας.* Praeterea apud ceteros scriptores commemorantur Olympi hi: in Troade (apud Strabonem X 470: *εἰσὶ μὲν οὖν λόφοι τέτταρες Ὄλυμποι καλούμενοι τῆς Ἴδης κατὰ τὴν Ἀντανδρίαν*), in Cilicia (Strab. XIV 671), in Cypro (Strab. XIV 682, 683), in Galatia (Polyb. XXII 20,9), in Lydia (Athen. II 30 sq.), in Laconia (Polyb. II 65,8 sq.), in insula Panchaea (Diod. Sic. V 44 *ὄρος ἐστὶν ὑψηλόν, καθιερωμένον μὲν θεοῖς, ὀνομαζόμενον δὲ Οὐρανοῦ δίφρος, καὶ Τριφύλιος Ὄλυμπος*), in Lesbo (Plin. N. H. V 31, 39), in Epiro (Eust. in Dion. Perieg. 409).

1) *Δία Ὀλύμπιον* secundum opiniones vulgares, quas Homeri carminibus cognitas habemus, in ipso monte Olympo et non in quodam superiore coeli loco domum suam habuisse, firmis argumentis probavit K. H. W. Voelcker, cuius studia de situ locorum atque regionum, quae Homero notae fuerunt, dignissima sunt, quae noscantur. Cf. Voelker, Ueber Hom. Geogr. u. Weltk. 1—20.

2) Cf. L. Heuzey, le mont Olympe et l'Acarnanie p. 138. Prell.-Rob. Griech. Myth.[4] I 121. L. R. Farnell, C. o. Gr. St. I 51 sq.

Videmus igitur, praeter Thessaliae montem permultos alios Olympi nomine nuncupatos fuisse. Neque Homeri carmina indicia de Olympo nobis praebent, e quibus pro certo colligere licet, illum montem in Thessalia situm fuisse. Nam huiusce rei documento esse non potest, quod Ἥρα et Ἑρμείας duobus Homeri locis (Ξ 226 sqq. et ε 350) ab Olympo descendentes per Pieriam viam fecisse dicuntur [1]). Facile enim intellegimus rhapsodos, qui prae ceteris Graeciae regionibus Thessaliam cognitam haberent, in describendis locis sibi ignotis, praecipue ex Thessalia exempla sibi expetivisse. Praeterea hoc quoque nos monet, ne falso perducemur ad existimandum Olympum Homericum Thessaliae fuisse montem, quod pristini cuiusdam Διός cultus in hoc monte vestigia supersunt nulla. Saeculo demum tertio post christum natum Solinus [2]) mentionem fecit arae in cacumine montis Olympi Διί consecratae. Quibus de causis non verisimile duco Graecos iam inde a priscis temporibus Thessaliae montem Olympum tamquam montem divinum coluisse; immo potius crediderim eos haud aliter quam Indos Persasque hoc persuasum habuisse, summum deum habitare in monte quodam altissimo, unde mundum regeret. Qui mons non nisi in mythis quidem exstabat, postea tamen a plerisque populis, quippe qui

---

1) Versus obscuriores Odysseae (λ 315 sq.), ubi montes Ossa et Pelion Olympo impositi esse dicuntur, haud dubie insiticii sunt, quam ob rem parum huc valent.

2) Solinus, Coll. rer. mem. VIII 6.

Etiam nostris diebus Thessaliae indigenae montem Olympum sacrum habent variasque narrant fabulas de regiis marmoreis in summis verticibus aedificatis; quotannis monachi sancti Dionysii pompam nocturnam ducunt in summum montem. Cf. Heuzey, le mont Olymp. et l'Acarn. 138.

honorem montis divini sibi arrogarent, in suis regionibus situs esse affirmabatur. Eadem ratione Indi varios montes sacro nomine «Meru» vocabant [1]), Persae montem «Elborj» hic illic venerabantur [2]). Facit huc quoque, quod Theod. Bergk [3]) observat, in Asia tot fuisse montes, qui Olympi nominabantur, ut veri sit simillimum nomen ipsum ibi natum esse. Fortasse igitur ipsa huius montis divini informatio pristinis temporibus ex Asia in Graeciam translata est.

Sed iam satis de *Διί* in locis editis culto. Eum inde a priscis temporibus varias ob causas in summis montibus ubique venerationi fuisse, compluribus exemplis demonstravimus. Nunc videamus, quid de ceteris diis deabusque observandum sit. Ne autem abruptius in eas res disputationem meam convertam, a *Διί* transibo ad deum cum hoc deorum patre, natura, ut videtur, artissime coniunctum. De *Κρόνου* enim veneratione in montibus atque in collibus, ab eo denominatis, pauca observanda sunt.

## De *Κρόνου* veneratione.

Ordior a commemorandis omnibus veterum, quae huc spectant, testimoniis. Paucis deinceps exponam, quid de huius cultus origine sentiam. In vertice *Κρονίου,*

1) Cf. Ferd. v. Andr. Höhenc. p. 36: „Jede der grossen indischen Religionen hat sich ihren Götterberg construirt und denselben an zahlreichen irdischen Bergen localisiert.

2) Cf. Fr. Spiegel, Eran. Alterth. I 191 sq. 463 sq.

3) Th. Bergk, Jahrb. f. kl. Phil. 1860 421 sqq.

Elidis collis, teste Pausania [1]), *Κρόνου* sacerdotes, *οἱ Βασίλαι καλούμενοι,* circa aequinoctium rem divinam facere solebant. Alius *Κρονίου ὄρους,* in Laconica siti, Pseudo-Plutarchus [2]) mentionem facit. Praeterea de alio colle eiusdem nominis Ptolemaeus [3]) loquitur. Nec non quae Diodorus Siculus [4]) de *Κρόνου* cultibus tradidit, digna sunt, quae hoc loco commemorentur. Eo auctore *Κρόνος* antiquitus Cretensium erat deus eiusque cultus a Creta usque ad remotissimas regiones occidentales penetravit. Quo factum esse putat Diodorus, ut usque ad suam aetatem permulta Siciliae loca edita *Κρόνια* nominarentur. Etiam Dionysius Halicarnassensis [5]) denique mentionem facit *Κρονίου λόφου,* in Italia siti, in quo olim Epei, Graecorum classe in Italiam appulsi, oppidulum condidissent; ibi aram, quae Dionysii aetate adhuc exstabat *Κρόνῳ* statuisse ferebantur.

Haec sunt, quae veteres scriptores de collibus ad *Κρόνου* venerationem electis tradiderunt. Nunc sententias a recentioribus interpretibus de iis prolatas consideremus.

Iam quinquaginta fere annos abhinc Welcker [6]) mira qua fuit sagacitate in mythorum lineamentis priscis atque sinceris ab additamentis posterioris aevi internoscendis, perspexit deum, qui passim *Κρόνιος Κρονίων Κρονίδης* cognominatur, non ideo ita esse appellatum, quod Croni progenies haberetur, sed epitheta illa ex *Διός* natura atque indole esse interpretanda. In iis enim vocabulum „*χρονος*" latere existimavit; tempus vero quum

1) Paus. VI 20, 1.
2) Ps.-Plut. de fluv. IX 3.
3) Ptol. III 16, 4.
4) Diod. Sic. III 61. XV 16.
5) Dion. Hal. Arch. I 34.
6) F. G. Welcker, Gr. Götterl. I 141 sqq.

aeternum esset, deum aeternum hoc nomine vocatum esse. Quae quidem vocum origo, licet a viris doctis, qui studiis etymologicis se dederunt, in controversiam vocetur [1]), dubium tamen vix esse potest, quin terminis *ιων, ιδης* antiquitus patronymica vis defuerit, ut principio *Κρονίδης* et *Κρονίων* idem fere valeret quod *Κρόνος,* quibus vocibus divina quaedam maiestas indicaretur, quae praecipue summo deo *Διί* attribueretur eiusque nomini tamquam cognomen adderetur. Quae quum ita sint, perquam verisimile mihi videtur priscis temporibus inter *Δία Κρονίωνα* et *Κρόνον* vix quidquam discriminis interfuisse. Quocirca mirum non est vetera documenta complura probare, *Κρόνῳ* haud aliter quam *Διί* ipsi praecipue in locis excelsis honores divinos adhibitos esse [2]).

Cum iam pergam ordine exponere, quosnam deos in locis editis colere soliti sint Graeci, praeter *Δία,* cui omnium maxime montes erant consecrati, primo loco enumerandi sunt dei, qui imprimis apud pastores antiquitus in honore erant, *Πᾶνα, Διόνυσον, Ἑρμῆν, Ἀπόλλωνα* dico [3]).

---

1) Alii a stirpe *κερ* (*κείρω*) deducunt originem (Cf. H. D. Muell., Myth. d. Gr. St. II 137), alii a verbo *κραίνω* (Cf. Prell.-Rob. Gr. Myth.[4] 51 Anm. 4 H. Usener, Göttern. 26).

2) Quod fuerunt multi colles, qui *Κρόνια* nominabantur, id Hermanno Usener documento fuit, *Δία* ipsum interdum *Κρόνον* vocatum esse. (Gottern. p. 27.) „Dass in der that Zeus selbst auch *Κρόνος* benannt wurde, folgt aus der nachricht, dass in Sicilien und anderwärts bei den westlichen Griechen berghöhen häufig den namen *Κρόνια* trugen: denn Zeus ist es, der gott des himmelslichtes und des regens, dem der alte cultus auf den berggipfeln eignet.''

3) Dignum est quod observetur etiam apud Indos deum pastoralem „Rudra", saepe montium praesidem vocari. Cf. H. Oldenb., Die Relig. d. Veda pp. 216—

## De Πανός veneratione.

Quod ad Πᾶνα, ὑψηλῶν ὀρέων ἔφορον [1]), attinet, per totam Arcadiam pastores huic ovium custodi rem divinam facere solebant in iugis montium; ibi versari in deliciis habebat deus [2]), qui teste Homero [3])

Πάντα λόφον νιφόεντα λέλογχε
καὶ κορυφὰς ὀρέων καὶ πετρήεντα κέλευθα.

In monte Lycaeo aedes sacra erat Πανὸς Λυκαίου [4]); item in Nomio monte fanum erat Πανὸς Νομίου [5]); praeterea montes Λάμπεια [6]) atque Μαινάλιον [7]) ei erant dicati. Nec non ei cognomina erant Κυλληνίῳ [8]) a monte Cyllene, Σκολείτᾳ, ἀπὸ λόφου τοῦ Σκολείτα [9]).

Etiam extra Arcadiae fines, quamquam haud late divulgatus erat cultus dei Arcadici, potissimum in montibus celebrabatur. Πανὸς ὄρος, prope Marathonem situm, Pausanias [10]) memorat; in rupe praerupta Parnasi montis aditus erat antri Corycii, Pani nymphisque sacri [11]),

---

224: „So finden sich häufige Bezeichnungen Rudras wie „Bergbewohner", „Bergwandler", „Bergbeschützer"; bei einem Opfer für die Erhaltung der Heerden wird unter mannichfaltigen Namen des Rudra auch der Berg angerufen." (p. 219). 1) Anth. 108.

2) Cf. Ovid. Fast. II 271 sq. Paus. VIII 42, 2. Anth. VI 108. Aeschylus (Agam. 55) Πανα 'Απόλλωνα Δία deos ὑπάτους nuncupat.

3) Hom. Hymn. in Pan. 6 sq. (Ed. Goodw.)

4) Cf. W. Immerw. K. u. M. A. 193—195. 5) Cf. Paus. VIII 38, 11.

6) Cf. Paus. VIII 24,4. ἔχει δὲ τὰς πηγὰς ὁ 'Ερύμανθος ἐν ὄρει Λαμπείᾳ. τὸ δὲ ὄρος τοῦτο ἱερὸν εἶναι Πανὸς λέγεται

7) Cf. Paus. VIII 36,8. τὸ δὲ ὄρος τὸ Μαινάλιον ἱερὸν μάλιστα εἶναι Πανὸς νομίζουσι De ceteris veterum testimoniis vide Imm. K. u. M. A. 195 sq.

8) Cf. Soph. Aiac. 695. Anth. VI 96. 9) Cf. Paus. VIII 30, 7.

10) Ibid. I 32, 7. 11) Ibid. I 32, 7. Strab. IX 417.

promontorium denique Malea nomen dederat Πανὶ Μαλειήτῃ [1]).

## De Διονύσου veneratione.

Saepissime Πανί comes adiungitur Διόνυσος, quod quidem nemini mirum videbitur, qui cognoverit, Dionysum quoque in numero deorum pastoriciorum habendum esse. Vix enim dubitari potest, quin verissime de eo haec observaverit S. Wide [2]): «Beziehungen des Bockes zum Dionysos kommen sehr häufig vor und werden am besten dadurch erklärt, dass man annimmt, der Gott habe anfänglich unter den Ziegenhirten auf den Bergen Verehrung gefunden.» In montibus sane vagari putabatur deus, qui ὀρεσθεύς, ὀρειφοίτης, οὐρεσιφοίτης saepe cognominabatur a poetis [3]); in montium iugis igitur Maenades sive Thuiades haedorum pellibus indutae, capita coronatae hedera, thyrsos tibias tympana gestantes, orgia celebrare solebant. In his Phocenses Parnassum [4]), Boeotii Cithaeronem [5]) et Laphystium [6]), Laconici Taygetum [7]) et Larysium, Messenii Euam [8]) montem, cui nomen a bacchantium clamore εὐοῖ inditum esse dicebatur, Διονύσῳ consecraverant.

---

1) Callim. fr. 412 (Ed. Schneider).

2) Wide, Lak. Kulte. 169.

3) Ibid. pag. 120.

4) Paus. X 4, 2. Aesch. Eum. 22 sqq. Soph. Antig. 1126. Eur. Iph. Taur. 1243.

5) Verg. Aen. IV 300 sqq. Paus. IX 1, 2; 3, 1. Schol. Verg. Georg. III 43.

6) Etym. M. Λαφύστιος ὁ Διόνυσος ἀπὸ τοῦ ἐν Βοιωτίᾳ Λαφυστίου ὄρους Schol. Lycophr. 1237. Λαφυστίας· ὁ Διόνυσος, ἀπὸ Λαφυστίου, ὄρους Βοιωτίας.

7) Arist. Lys. 1309. Verg. Georg. II 486 sqq.

8) Paus. IV 31, 4.

## De *Ἑρμοῦ* venerationE.

*Ἑρμῆς* quoque, qui aeque ac *Πᾶν* praecipue Arcadiae pastoribus carus erat, quem quidem deum quadamtenus suo loco depulisse videtur [1]), montes saltuosos amabat; quocirca in montibus natus atque nutritus esse ferebatur. Ab Arcadibus dei cunabula dicebatur Cyllene, unde vix paucas horas natum furtim effugientem eum excursione nocturna Apollinis boves surripuisse narrabant, quo iam a cunis indolem callidam atque versutam patefaceret [2]). In summo montis vertice celeberrimum templum erat *Ἑρμοῦ Κυλληνίου:* (Cf. Paus. VIII 17, 1).

*Μετὰ δὲ τοῦ Αἰπύτου τὸν τάφον ὄρος τε ὑψηλότατον ὀρῶν τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ Κυλλήνη καὶ Ἑρμοῦ Κυλληνίου κατερριμμένος ναός ἐστιν ἐπὶ κορυφῇ τοῦ ὄρους* [3]).

Haud procul a Cyllene *Ἑρμῆν* recens natum nymphae abluisse dicebantur aquis trium fontium, a quibus montes, ubi profluebant fontes, *Τρίκρηνη ὄρη* nominabantur [4]).

Praeter Arcades Boeotii quoque prae se ferebant, in suis montibus *Ἑρμῆν* natum esse. Tanagraei enim Cerycium montem hanc ob rem sacrum habebant [5]).

*Ἑρμῆν* puerum in colle Acacesio enutritum fuisse ab

1) Cf. Immerw., K. u. M. A. 93 sq.

2) Haec fabula venustissime narratur ab Homero (Hymn. in Merc. 63 sq.).

3) Cetera loca, quae huc pertinent, exscripsit Immerw., K. u. M. A. 73—78.

4) Cf. Paus. VIII 16, 1.

5) Cf. Ibid. IX 20,3. Alter mons Cerycius *Ἑρμῇ* consecratus commemoratur apud Hesych. s. v. *Κηρύκιον*. Cf. praeterea Suid. s. v. *Κηρυκεία* Etym. Magn. s. v. *Κηρύκιον*. Theogn. Bekker p. 1389.

Aeaco, Lycaonis filio, fama erat, teste Pausania: (VIII 36,10.) Ὑπὸ τούτῳ δὲ τῷ λόφῳ πόλις τε ἦν Ἀκακήσιον, Ἑρμοῦ τε Ἀκακησίου [1]) λίθου πεποιημένον ἄγαλμα καὶ ἐς ἡμᾶς ἐστιν ἐπὶ τοῦ λόφου· τραφῆναι δὲ Ἑρμῆν παῖδα αὐτόθι καὶ Ἄκακον τὸν Λυκάονος γενέσθαι οἱ τροφέα Ἀρκάδων ἐστὶν ἐς αὐτὸν λόγος. Cf. praeterea Paus. VIII 3,2. Hom. Π 184. Schol. Hom. Ε 42. Call. Dian. 142 c. schol. Eratosth. III 21.

Praeterea in insula Samothrace, quae praecipue Ἑρμῇ dedita erat, in montibus habitare putabatur. Ipsa insula, testibus Strabone atque Eustathio, nomen traxerat a locis editis, quae indigenae „σάμους" appellarent: (Strab. X 457) Πιθανώτεροι δ' εἰσὶν (οἱ) [2]) ἀπὸ τοῦ σάμους καλεῖσθαι τὰ ὕψη φήσαντες εὑρῆσθαι τοῦτο τοὔνομα τὴν νῆσον [3]). Eustath. ad Il. Ω 78 p. 1340 ............ Σάμον δ' ἐνταῦθα τὴν Θρηκίην Σάμον ἤτο Σαμοθράκην φησίν..... Σάμος δὲ ἐλέγετο διὰ τὸ ὑψηλόν. σάμους γάρ οἱ τότε τοὺς λόφους ἔλεγον. (Cf. praeterea Eust. ad Ν 12.) Hinc fortasse Ἑρμοῦ filio, in insula Samothrace nato, nomen Samoni sive Saoni inditum est.

Postremo digni videntur, de quibus hoc loco mentionem faciam, lapidum illi acervi, qui ἕρμακες sive ἑρμαῖοι λόφοι vocabantur quique in Ἑρμοῦ honorem in viis erant exstructi. Viatores iis saepe tamquam altaribus utebantur atque novis semper lapidibus in eos coniiciendis conge-

---

1) Ἑρμοῦ cognomen Ἀκακήσιον minime cohaerere cum altero eiusdem dei nomine Ἀκ κητα, quo nomine saepius apud Homerum nuncupatur, satis lucide Immerwahr probavit. (Imm. K. u. M. A. 94 sq.) „der Name Akakesios (ist) rein lokal zu fassen."  2) οἱ inseruit G. Kramer.

3) Straboni adstipulatur O. Rubensohn, Myst. in Eleus. und Samothr. p. 128; contra O. Gruppe, (de Cadmi fabula 20) aliam viam ingressus est. Putat Ἑρμῆν, qui apud Homerum Σῶκος sive Σάωκος cognominatur, insulae nomen dedisse.

4) Cf. Diod. Sic. V 48, ubi vide annot. Wesselingii. Cf. praeterea Apoll. Rhod. I 917.

ries illas in maius accumulabant [1]). Vera atque propria significatio harum lapidum struum plane adhuc latet, quamquam haud paucas de hac re protulerunt viri docti sententias [2]). Quod autem haec venerandi ratio ad illum potissimum deum pertinet, qui in montibus praecipue colebatur, id minime miramur. Consimili enim modo Iudaei deo suo celsissimo honores tribuebant; saepe ab iis in honorem summi dei lapidum tumuli coacervabantur, qui altarium vice fungerentur [3]). Facit huc quoque, quod de alta illa *Διὸς 'Ολυμπίου* ara, quae Olympiae erat exstructa, cognitum habemus. Haec ara, quae teste Pausania [4]) congesta erat e cinere victimarum combustarum, quotannis magis magisque accrescebat, quoniam singulis sacris anniversariis novus cinis hostiarum adderetur. Deo nempe celsissimo in coelo regnanti, celso quoque in loco rem divinam esse faciendam putabant Elei. Quid quod etiam Pergami incolae numinibus coelestibus in notissimis illis altariis praealtis sacra facere solebant? Nec non silentio praetermittere licet Babyloniorum morem ponendi altaria diis celsissimis in summis templis, quae turrium instar erant aedificata [5]). («Ziggurats»).

1) Cf. schol. ad Od. *π* 471 et Eustath. ad h.l. Cornut. 16. Babr. 48. Strab. VIII 343. XV 818. Theophr. Charact. 16. Polyaen. Strateg. VI 24. Paus. VIII 34,6. Dio Chrysosth. Or. 78. p. 420 R. Etym. M., Hesych., Suid. s.v. *῾Ερμαῖον*.

2) Cf. Welcker, Gr. Götterl. II 455. B. Schmidt, „Steinhaufen als Fluchmale, Hermesheiligt. und Grabhügel in Griech." Jahrb. f. Phil. 1893, pp. 369—395. Prell.—Rob. Gr. Myth[4]. I 346 Anm. 5. M. W. de Visser, De Graecor. diis non refer. spec. hum. 80—85.

3) Cf. W. Baudissin, Stud. z. Sem. Relig. gesch. II 255—261.

4) Paus. V 13,8: *Πεποίηται δὲ (ὁ τοῦ Διὸς τοῦ 'Ολυμπίου βωμὸς) ἱερείων τῶν θυομένων τῷ Διὶ ἀπὸ τῆς τέφρας τῶν μηρῶν*. Cf. Ibid. V 13,11.

5) Cf. Ferd. v. Andr. Höhenc. p. 265.

Sed, ne longius a proposito nostro aberremus, transeamus iam ad quartum deum, qui saepe inter numina pastoricia habetur, *Ἀπόλλωνα* dico.

---

## DE *Ἀπόλλωνος* VENERATIONE.

---

Hic deus, licet fortasse antiquissimis temporibus praecipue pecudes custodiendi munere functus sit,[1] non hanc ob causam in tot locis editis cultus esse videtur. Nam eum propter hoc officium pastorale in montibus adoratum esse, paucis, ne dicam nullis testimoniis probatur.

Primum enim, quod attinet ad *Ἀπόλλωνα Μαλεάταν*, qui in Argolidis monte *Κυνορτίῳ* templum habebat[2], dubitant interpretes, lateatne in hoc nomine vox *μῆλον* «pomum», an *μῆλον* «ovis»; alii igitur illum deum pro numine habent, quod agriculturae, alii, quod pecudibus faveat[3]. Sed iam v. Wilamowitz—Moellendorff[4]) probavit *τὸν Μαλεάταν* priscum fuisse

---

1) Cf. e. g. E. Meyer, Gesch. d. Alterth. II. 106: „Die nächste Stufe der Cultur bezeichnen die Hirtengötter, vor allem Apollon, der Gott der Weiden und Triften, der Widder und Schafe" (*νόμιος*, *ναπαῖος*, *καρνεῖος*, *μαλόεις*, oder *μαλεάτας*). Cf. etiam pag. 97 eiusdem libri.

Haud illepide tamen Macrobius coniecisse mihi videtur officium illud pastoricium non nisi exiguam esse partem muneris dei solaris: (Sat. I 17, 43.) „*Νόμιον Ἀπόλλωνα* cognominaverunt, non ex officio pastorali et fabula, per quam fingitur Admeti regis pecora pavisse, sed quia sol pascit omnia, quae terra progenerat: unde non unius generis, sed omnium pecorum pastor canitur, ut apud Homerum Neptuno dicente:

*Φοῖβε, σὺ δ' εἰλίποδας ἕλικας βοῦς βουκολέεσκες.*"

2) Cf. Paus. II 27,7.

3) Wide, Lak. Kult. 92.

4) U. v. Wilam.-Moell., Isyll. v. Epid. p. 98 sq. Cf. H. Usener, Göttern. 146.

deum, cuius locum Apollo postea occuparet. Praeterea Usener, Moellendorfio adstipulatus, probabiliter coniecit nomen „Κυνόρτιον ὄρος", ubi Ἀπόλλων Μαλεάτας coleretur, ortum e stirpe κυν (i. e. lux), indicare montem quendam luminosum («lichtberg») [1]). Quibus de causis verisimile mihi videtur priscum illum deum Μαλεάταν, qui poma aleret, postea cessisse Ἀπόλλωνι Μαλεάτᾳ, deo solari, qui etiam caloribus fecundis pomorum ubertatem augeret. Ad numina igitur pastoricia, mea quidem sententia, Ἀπόλλων Μαλεάτας referendus non est.

Neque alter ille Apollo, qui Ἀκρείτας cognominabatur quique a nonnullis viris doctis deus pastoricius habitus est, re vera umquam tali munere functus esse mihi videtur. Nam minime cum „κέρας" „κριός" „κάρνος" eius cognomen conferendum esse puto; potius comparaverim cum „ἐπάκριος" et „ἀκραῖος" [2]). Quam ob rem illum quoque Apollinem non deum quendam pastoricium intellego sed deum, qui in locis editis habitare in deliciis habuerit.

De pastorali igitur Apollinis officio, saltem quatenus ad eius cultus in locis superioribus attinet, aut perpauca tantum, aut omnino nihil cognitum habemus; contra alia dei munera clariorem in lucem prodeunt. Inter ea primarium obtinet locum, quod Apollini multis in regionibus moderamen ac arbitrium maris erat tributum;

---

1) H. Usener, Göttern. 207.

2) Cf. S. Wide, Lak. Kult. 91: „Gewöhnlich wird dieser Beiname als „der auf den Höhen verehrte" gedeutet .... aber man kann auch ἀκρείτας mit κέρας, κριός, κάρνος in Verbinding bringen, so dass Apollon ἀκρείτας dem Apollon κάρνειος verwandt wäre."

quocirca promontoria, unde in mare late prospici licebat, saepenumero Apollini erant dedicata [1]).

Ita in Actio, Acarnaniae promontorio, templum erat *Ἀπόλλωνος τοῦ Ἀκτίου*; item, in insula Leucade, Leucate promontorium *Ἀπόλλωνι Λευκάτᾳ* sive *Ἀκτίῳ* erat consecratum. Duo illi cultus arte inter sese cohaerere videntur; utrique deo festis sacris ludos peragebant consimiles similiaque sacrificia faciebant, e. g. utrique bovem immolabant muscas arcendi causa [2]). Leucatam promontorium famosum reddidit, quod quotannis aliquis, dei expiandi causa, a summis rupibus deiiciebatur. De quo cultu perantiquo vide Strab. X 452, Serv. in Aen. III 274. Ecl. VIII 59, C. O. Mueller, Dor. I 231 sq., Toepffer, Rhein. Mus. N⁰. 43 pp. 142—145.

In Attica promontorium *Ζωστήρ*, in mare prominens, *Ἀπόλλωνος Ζωστηρίου* aede erat insigne [3]). Neque solum *Ζωστήρ*, Hymetti promontorium, sed etiam ipse Hymettus Apollini nomen dederat [4]) eique sacer erat; hoc enim late mare prospectabat. Inde perspicitur, cur

---

1) In Africae quoque ora maritima duo Apollinis promontoria sita fuisse dicuntur; quorum alterum ex adverso Sardiniae erat, (Cf. Strab. XVII 832. Liv. XXX 24. Plin. N. H. V 3. Melam I 7), alterum in Mauretania. (Cf. Plin. N. H. V 2.)

2) De Apolline in Acarnaniae promontorio culto, vide Strab. VII 325. X 451. Clem. Alex., Protr. II 39. Paus. VIII 8, 12. L. Heuzey, le mont Olympe et l'Acarn. pp. 386 sq.

De *Ἀπόλλωνι Λευκάτᾳ* vide Aelian. de nat. anim. X 18. Strab. X 452. Phot. s. v. *Λευκάτης*. Thuc. III 94,2. Plutarchus (Pomp. 24) coniunctim *Ἀπόλλωνα τὸν ἐν Ἀκτίῳ καὶ Λευκάδι* commemorat.

3) Cf. Hesych. s. v. *Ζωστήρ* Steph. Byz. s. v. *Ζωστήρ* et *Τέγυρα*. Paus. I 31,1. Callim. fr. annon. 89a (ed. Schneider.). Italiae mons quidam *Ζωστήρ*, *Ἀπόλλωνι Ζωστηρίῳ* consecratus memoratur apud Tzetz. ad Lycophr. 1278.

4) Cf. Hesych. s. v. *Ὑμήττιος*.

hoc loco Ἀπόλλωνος Προοψίου ara fuerit exstructa [1]). Eandem ob causam Ἀπόλλων Φαναῖος [2]) in promontorio insulae Chii, Ἀπόλλων Αἰγλήτης [3]) in altis rupibus Anaphae insulae, Ἀπόλλων Ἐπιδήλιος [4]) in Laconicae promontorio Delio sive Epidelio a navigatoribus colebatur.

Etiam extra Graeciae fines Dores, quibus, si C. O. Muellero credamus, Apollinis cultus proprius erat, hunc deum secum duxerunt. In Cariae promontorio Τριοπίῳ sive Τριόπῳ templum Apollinis Triopici aedificaverant incolae sex civitatum, quae foedere iunctae erant („Ἑξάπολις"), ut communi deo Dorico sacra facerent solemnibusque certaminibus festa agerent. Cf. Herod. I 144. Dion. Hallic. IV 25. Schol. Theocr. XVII 69. C. O. Mueller. Dor. I pp. 105 sqq.

Postremo memorandi sunt Ἀπόλλων Μύλας, cui a Rhodi promontorio quodam cognomen inditum erat et Ἀπόλλων Λιθήσιος, qui deus, utrum in Laconicae promontorio Malea, an prope Creticam urbem Phaestum cultus sit, incertus est. Hanc opinionem probat Meineke (Anal. Alex. p. 185), qui, mea quidem sententia, egregie haec annotavit ad Steph. Byz. s. v. Λιθήσιος — ὁ Ἀπόλλων ἐν τῷ Μαλέᾳ λίθῳ προσιδρυμένος ἐκεῖ· Ῥιανὸς Ἠλιακῶν τρίτῳ —: „At quum apud Homerum γ 295, ubi portus Phaesti Creticae urbis describitur, in verbis:

ἔνθα νότος μέγα κῦμα ποτὶ σκαιὸν ῥίον ὠθεῖ,
ἐς Φαιστόν, μικρὸς δὲ λίθος μέγα κῦμ' ἀποέργει·

---

1) Cf. Paus. I 32,2.
2) Cf. Hesych. s. v. Φαναῖος.
3) Strab. X 484. Apoll. I 9, 26.
4) Cf. Paus. III 23,2. Strab. VIII 360. S. Wide, Lak. K. 93: „Apollon ἐπιδήλιος ist wahrscheinlich der plötzlich erscheinende, aufglänzende Gott der Schiffer und Schiffahrt."
5) Cf. Steph. Byz. s. v. Μύλας.

pro μικρὸς λίθος veteres critici aliam lectionem, Μαλέου λίθος probaverint, quod haec moles ante Phaesti portum, ut fama apud indigenas ferebat, a Malea Tyrrhenorum Pelasgicorum duce exstructa esse ferebatur, vix dubium esse potest, quin apud Rhianum Apollo Lithesius non intellegendus sit Apollo Μαλεώτης in Laconica, sed ille ipse Apollo Cretensis, cuius templum in mole illa Maleae — pro Μαλέᾳ enim Μαλέα scribendum cum Lobeck. Aglaoph. p. 586 — ante portum Phaesti aedificatum erat."

Non solum autem iuxta oras maritimas, sed etiam in interioribus Graeciae regionibus montes ad cultum Apollinis quam maxime aptos ductos esse, pluribus iam docebo exemplis.

Ab Atticae monte Parne Παρνήσιον nomen ei erat inditum [1]). Λυκωρεύς sive Λυκώρειος denominabatur a Λυκώρεια, qui pagus in summo Parnasso erat situs. Hic aedes erat perantiqua, quam Deucalion condidisse dicebatur. Fama enim ferebat, olim, cum Ζεύς in totum genus humanum graviter iratus orbem terrarum aquis submersisset, Deucalionem nave in Parnassi verticem appulsum, vix salutem expedivisse ibique, ut debita vota exsequeretur, urbem condidisse et sacra in honorem Διὸς Λυκωρειόν instituisse [2]). Qui autem Διός cultus posterioribus temporibus prorsus evanuisse videtur atque cessisse Apollinis venerationi, cui deo, ut satis

---

1) C. I. A. II 609.

2) Cf. Call. H. 2,19. Schol. Apoll. Rhod., Arg. II 1147, IV 1490. Steph. Byz. s. v. Λυκώρεια. Apoll., Bibl. I 7,2. Paus. X 6,2. Schol. Pind. IX 70. Lucian., Tim. 3. Marm. Par. 4 sqq.

nota res est, non solum summa Parnassi iuga, sed totus mons sacer erat. Neque hoc uno tantum loco *Διός* cultum ad se traxisse videtur Apollo, sed alibi quoque haud raro factum est, ut prisci cuiusdam dei venerationem occuparet [1]. In his *᾿Απόλλων Παῤῥάσιος* sive *Πύθιος* in Arcadiae monte Lycaeo, ubi, ut supra vidimus [2], *Ζεὺς Λύκαιος* inde a remotissimis temporibus celebrabatur, venerationem nanctus erat [3]. Numquam tamen ille Apollinis cultus ad eum honorem pervenisse videtur, ut *Διός* venerationem exstinguere posset [4].

Etiam in Cotylio, in colle satis alto, qui haud longe a Lycaeo monte abest, *᾿Απόλλων* (*᾿Επικούριος*) colebatur. Aedis reliquiae, adhuc exstantes, testantur minime veritatem egressum esse Pausaniam, cum insignem eius pulchritudinem ac structurae concinnitatem summis laudibus efferret [5].

In Boeotia Thebani prae ceteris diis Apollinem in locis excelsis venerabantur. Haud longe ab urbe *᾿Απόλλωνι ᾿Ισμηνίῳ* delubrum aedificaverant in colle Ismenio [6]; nec non in monte Ptoo templum ac oraculum celeberrimum *᾿Απόλλωνος Πτώου* Thebani possidebant [7]. Postremo prope

---

1) De qua re vid. S. Wide, L. K. p. 91. 2) Cf. pp. 30 e. q. s.

3) De Apollinis fano et de sacris solemnibus, quae quotannis deo peragebantur, vide Paus. VIII 38,8. C. I. G. 1534.

4) Quibus vinculis cultus *Διὸς Λυκαίου*, *Διὸς Λικωρείου*, *᾿Απόλλωνος Λυκωρείου* inter sese cohaereant, indagare conatus est O. Jahn, Ber. d. K. Sächs. Geselsch. d. Wiss. I 417. Cf. etiam W. Immerw., K. u. M. A. pp. 22, 137, 253.

5) Paus. VIII 41,7. 30,4. Cf. Stackelberg, Apollontempel zu Bassae.

6) Cf. Paus. IX 10,2 sqq. De aedis sacrae reliquiis de statuis aliisque rebus, ad Apollinis cultum pertinentibus, quarum magna pars a Franco-gallis viginti paene annos abhinc effossa est, vide M. Holleaux in Bullet. de Corr. Hell. Ann. 1885—1892. 7) Cf. Paus. IX 23,7. Strab. IX 413. Herod. VIII 135.

Haliartum, Boetiae urbem, in monte, cui nomen Τιλφούσιον sive Τιλφώσσιον erat, Apollinis fanum situm fuisse complures docent scriptores [1].

Laconiae incolae Apollinem Pythaeum sive Thornacium in monte Thornace venerabantur [2]. Qui cultus, si viro docto Immerwahr [3]) credamus, a Delphis in Laconiam penetravit per Argolidem regionem, ubi Apollo praecipue in locis montanis habitare dicebatur [4]. Hinc Δειραδιώτης [5]) denominabatur Apollo in Argivorum urbe; nam vix dubitari potest, quin origo huiusce cognominis ducenda sit a voce δειρή, cuius numero plurali saepe montium iuga indicantur.

Haec sunt, quae de Apolline in locis superioribus culto cognita habemus; nunc de Ἀρτέμιδι agamus.

---

## De Ἀρτέμιδος veneratione.

---

Varii Ἀρτέμιδος cultus insigniter declarant id, quod iam saepius animadvertimus, remotissimis imprimis temporibus inter Graecos morem receptum fuisse deos in montibus clivisque colendi. Artemis enim antiquitus praecipue culta esse videtur in locis editis Arcadiae, in ea igitur regione, quae semper a cultu atque humanitate longissime abfuit; quo factum est, ut ritus

1) Cf. Paus. IX 33,1. Strab. IX 411. Steph. Byz. s. v. Τέλφουσσα.
2) Cf. Hesych. s. v. Θόρναξ.
3) Immerw., K. u. M. A. 136, 138.
4) Cf. e. g. quae Pausanias II 34,6 de Apolline Platanistio nos docet.
5) Cf. Paus. II 24,1.

caerimoniaeque, quae ibi vigerent, omnes fere priscam vetustatem redolerent [1]).

Breviter omnes cultus, qui huc pertinent, enumerabo: In declivi parte montis Anchisiae, in Orchomeniorum finibus, aedes erat Ἀρτέμιδι Ὑμνίᾳ sacra, cui deae dies sollemnes agitabant Arcades [2]). In summo monte Crathide Ἄρτεμις Πυρωνία templum habebat, auctore Pausania [3]), qui praeterea mentionem facit Ἀρτέμιδος Κνακαλησίας in Κνακάλῳ monte cultae [4]). Ἄρτεμις Ὀρθία sive Ὀρθωσία aedem sacram possidebat in Arcadiae monte Ὀρθίῳ sive Ὀρθωσίῳ [5]). Quod deae cognomen, quid significaret, veteres ipsi iam dubitaverunt; scholiasta ad Pindarum (Ol. III 54) duas praebet interpretationes, quarum altera nos docet deam a monte nomen adeptam esse, altera narrat Ὀρθίαν eam nuncupatam esse, quia puerpueris auxilio veniret ἡ ὀρθοῦσα τὰς γυναῖκας καὶ εἰς σωτηρίαν ἐκ τῶν τοκετῶν ἄγουσα. Illa sententia, cui assentitur Hesychius (s. v. Ὀρθία· Ἄρτεμις οὕτως εἴρηται ἀπὸ τοῦ ἐν Ἀρκαδίᾳ χωρίου ἔνθα ἱερὸν Ἀρτέμιδος ἵδρυται·), omnino repudianda mihi videtur; nam non a monte deae, sed contra a dea monti nomen inditum esse potius crediderim; altera tamen scholiastae explicatio a viro docto

1) Cf. E. Meyer, Gesch. d. Alterth. II 104 „Wohl kein griechischer Cult hat so wie dieser (der Artemis) immer den Charakter einer culturlosen Urzeit bewahrt, wie er denn auch, obwohl über ganz Griechenland verbreitet, sich da am lebendigsten erhalten hat, wo die primitive Lebensweise sich am längsten hielt, in den Bergen Arkadiens und Aetoliens."

2) Cf. Paus. VIII 13,1. 5,11. 13,5. 3) Ibid. VIII 23,3.

4) Ibid. VIII 15,9.

5) Pindar. Ol. III 27. Schol. Pind. III 54. Hesych. s. v. Ὀρθία. Etiam in summo iugo Argolidis montis Lyconae templum erat exstructum Ἀρτέμιδος Ὀρθίας, de quo vide Paus. II 24,5.

Widio [1]) firmis argumentis comprobata est. Ultimo loco in numerandis Arcadiae montibus, in quorum verticibus Artemis adorabatur, memorandum est *τὸ Ἀρτεμίσιον ὄρος* in confinio Arcadiae atque Argolidis situm [2]).

Quod ad ceteras Graeciae regiones attinet, praeter Arcadiam Argolis et Laconica imprimis *Ἄρτεμιν* in locis superioribus veneratione prosecutae esse videntur. *Κορυφαία* appellabatur *Ἄρτεμις*, quae in summo Corypho sive Coryphaeo prope Epidaurum sito colebatur [3]); quae dea optime cum *Ἀρτέμιδι Ἀκραίᾳ*, quae apud Argivos magno in honore erat [4]), neque minus apte cum *Ἀρτέμιδι Δερρεάτιδι*, in Taygeto culta [5]), componitur. Idem enim, quod de etymologia *Ἀπόλλωνος Δειραδιώτου* observavimus [6]), de *Ἀρτέμιδι Δερρεάτιδι* valere, vix dubitationi obnoxium est. Praeterea dea *ὀρίπλανος* in Phocide rupem quandam praeruptam sibi consecratam habebat [7]). Etiam Magnesiae promontorium, cui nomen erat *Τισαία ἄκρα*, eidem numini erat dicatum [8]).

Hisce exemplis iam satis superque ostendisse mihi videor, deam venatricem, quae beluis silvestribus sectandis per loca saltuosa delectaretur, in montibus praesertim,

1) S. Wide, Lak. Kult. pp. 115 sq.

2) Complura quoque promontoria *Ἀρτέμιδι* sacra, ab ea *Ἀρτεμίσια* erant denominata. Sic in Euboeae promontorio Artemisio *Ἄρτεμις προσηῴα* celebrabatur. Cf. Herod. VII 175 sq. VIII 8. Plutarch. Them. 8. Nep. Them. III 3. Diod. Sic. XI 12. Nec non in Cariae promontorio quodam Artemisio templum habebat dea. Cf. Strab. XIV 651.

3) Cf. Paus. II 28,2. Steph. Byz. s. v. *Κορυφαῖον*.

4) Cf. Hesych. s. v. *Ἀκρία*.

5) Cf. Paus. III 20,7 Steph. Byz. s. v. *Δέρρα*. Hesych. s. v. *Καλαβοίδια*.

6) Cf. pag. 64. 7) Paus. X 37,1.

8) Cf. Apoll. Rhod. I 568 sqq. c. schol. Val. Flacc. Arg. II 7. Orph. Argon. 450. Liv. XXXVIII 7. Appian. Mithr. 35.

sicut eius naturae consentaneum erat, venerationem assecutam esse. Nunc consideremus, quid hac in re observandum sit de deabus semideabusque, quae arta quadam propinquitate cum Ἀρτέμιδι erant coniunctae. Ea autem ut ordine exponem, rursus ad Arcadiam, Ἀρτέμιδος cultibus nobilissimam regionem, revertar.

In Arcadia ubique in locis editioribus Καλλιστώ colebatur. Quae nympha e Διί patre Arcadem, progenitorem Arcadiae indigenarum, enisa esse ferebatur; quam ob rem invidiosa Ἥρα eam in ursam vertisset, Ζεύς in siderum numerum eam ascivisset. De cuius nymphae vera ac propria significatione alii alia protulerunt; hoc autem post C. O. Muellerum inter omnes pro certo constat, Callisto priscam fuisse deam Arcadicam, quae Artemidi tantopere consimilis esset, ut saepius pro uno eodemque numine utraque dea haberetur.[1])

Etiam Καλλίστῃ, cui prope Tricolonas in summo Callistus tumulo aedes erat consecrata, his numinibus proxime cognata est.[2])

Nec non Atalante nympha, quae saltus Parthenii montis venando peragrare dicebatur, arte cum Artemide cohaerere videtur.[3])

1) C. O. Muell. Dor. I 272 sq. „Prol. z. ein. wiss. Myth." 73—76. Cf. praeterea Prell.-Rob. Gr. Myth.[4] I 304 sq. E. Meyer, Forsch. z. alt. Gesch. I 61 sqq. Andrew Lang (Myth rit. a. rel. II 211 sqq.), cui L. R. Farnell assensus est (Cults of the Gr. St. II 435 sqq. 564 sqq.) in huius numinis cultu totemismi vestigia detegisse sibi videntur. Deam nempe, quae in ursam transformetur, olim sub animalis specie cultam fuisse persuasum iis est; ad quam sententiam firmandam afferunt cultum Ἀρτέμιδος Βραυρωνίας, quae dea haud dubie antiquitus sub ursae forma venerationi fuit. Vereor autem, ne nimis longe haec omnia repetant, neve plura contendant, quam certis argumentis affirmari possit.

2) De qua re cf. H. Usener, Gr. Göttern. 53.

3) Cf. Prell.-Rob. Gr. M.[4] I 305 „Auch die vorzugsweise auf dem Berg

Postremo loco digna est, quae paulo fusius hic pertractetur *Βριτόμαρτις* dea. Nam haec quoque et in excelsis locis colebatur et plerumque apud scriptores veteres una cum Artemide, quacum saepius confunditur, commemoratur. Tamen bene distinguendum esse utrumque numen plures auctores monent. Apud Diodorum Siculum e. g. haec legimus (V 76): *Βριτόμαρτιν δὲ τὴν προσαγορευομένην Δίκτυνναν ....... καὶ τὰς μὲν διατριβὰς ποιήσασθαι μετὰ τῆς Ἀρτέμιδος, ἀφ' ἧς αἰτίας ἐνίους δοκεῖν τὴν αὐτὴν εἶναι Δίκτυννάν τε καὶ Ἄρτεμιν.* Nec non Pausanias (II 30,3) Britomartim Artemidis familiarem nuncupat et alibi (III 14,2) aliam esse *Ἄρτεμιν*, aliam *Βριτόμαρτιν*, disertis verbis asseverat: *Ἐπονομάζουσι δὲ αὐτὴν καὶ Λιμναίαν, οὖσαν οὐκ Ἄρτεμιν, Βριτόμαρτιν δὲ τὴν Κρητῶν.* Praeterea in Cretensium quadam iuris iurandi formula utraque dea separatim invocatur: *Ὀμνύω τὰν Ἑστίαν καὶ Δῆνα ..... τὸν Ἀπέλλωνα τὸν Ποίτιον καὶ τὰν Λατοῦν καὶ τὰν Ἄρτεμιν ..... καὶ τὰν Βριτόμαρτιν* [1]).

Duobus hisce numinibus cognatissimis tertium accedit *Δίκτυννα*, quam deam scriptores veteres haud raro nihil esse, nisi Britomartim peculiari quodam cognomine vocatam, putant. Nominis origo plane adhuc latet; nam minime est, cur credamus Diodoro Siculo aliisque, ideo deam *Δικτύνναν* appellatam esse perhibentibus, quod reperisset «casses venatorias» (*δίκτυα εἰς κυνηγίαν*) [2]), aut quod prae amore sibi instantem Minoem fugiens, ab alta rupe in piscatorum *δίκτυα* se abiecisset [3]). Tales enim

---

Parthenion heimische Atalante ...... ist, wie Kallisto, eine Hypostase der Artemis."

1) Cauer, Delect. Inscr. Graec. [2] 121. 2) Diod. Sic. V. 76.

3) Diod. Sic. l. l.

narrationes fictas esse ab iis, qui explicare conarentur, quae sibi ipsis plane in tenebris iacerent, vix quemquam fugit.

Praecipuum Dictynnae templum in Cretae urbe Cydonia erat, cuius templi auctores Samii nominabantur teste Herodoto, apud quem haec legimus III 59: *αὐτοὶ δὲ (οἱ Σαμίοι) Κυδωνίην τὴν ἐν Κρήτῃ ἔκτισαν· ..... ἔμειναν δ' ἐν ταύτῃ καὶ εὐδαιμόνησαν ἐπ' ἔτεα πέντε· ὥστε τὰ ἱρὰ τὰ ἐν Κυδωνίῃ ἐόντα νῦν οἶτοί εἰσι οἱ ποιήσαντες καὶ τὸν τῆς Δικτύννης νηόν. ἕκτῳ δὲ ἔτεϊ Αἰγινῆται αὐτοὺς ναυμαχίῃ νικήσαντες ἠνδραποδίσαντο μετὰ Κρητῶν.* Quo Herodoti loco nisus C. O. Mueller [1]) probabiliter coniecit deas, quae posterioribus temporibus haud raro inter sese confusae essent, Dictynnam Britomartim Aphaeam dico, antiquitus nullo modo coniunctas fuisse. Singularum enim civitatum Sami Aeginae Cretae singularia ea fuisse numina genuina putabat, quae postea demum in Cydoniatorum sacris in unum coaluissent. Hisce verbis sententiam expedivit Mueller: «Cydoniam appulisse scimus Samios et sicut fas est Dictynnae, deae suae, templum magnificum exstruxisse: Samios exegerunt Aeginetae, eandemque, quam Samii Dictynnam, nomine et numine sibi proprio, dixerunt Aphaeam: Cydones autem et in ipsa urbe et circumquaque habitantes Britomartim: ita enim gentes, quoquo devenirent, sua agnoscunt numina patria. Quare equidem Britomartim deam esse existimo reapse Cretensem et Dictynnam Samiam, Aphaeamque utique Aeginaeam, neque eas nisi in sacris Cydoniatorum omnes coaluisse.» Addit autem egregius ille haec: «nec tamen posteris temporibus

1) C. O. Muell., Aeginetic. lib. pp. 163—170.

Britomartim infiteor etiam Dictynnae nomine per urbes Cretae cultam fuisse.» Re vera saepius confunduntur haec numina; etenim Diodorus Siculus (V 76), Pausanias (II 30, 3), Callimachus (Hymn. in Dian. 187), Strabo (X 479) Cretensem fuisse Dictynnam asseverant, nec non alii (Paus. III 24, 9 X 26, 5. Arist. Ran. 1359) mentionem faciunt *'Αρτέμιδος Δικτύννας*.

Sed utut hae res sese habent, id omnium et Britomartis et Dictynnae cultuum commune est, ad horum deorum venerationem sive sacris sollemnibus sive templorum dedicatione, eligi semper loca excelsa. Quam rem pluribus iam demonstrabo exemplis.

Ex Cretae promontorio Dicte sivi Dictaeo in mare desiluisse ferebatur Britomartis, ut Minoem, amore incensum se insecutum, effugeret. Inde in summo monte ei templum atque ara erant consecrata [1]).

*Ἱερὸν Δικτύνναιον* a Cydoniis in monte Tityro aedificatum memoratur apud Strabonem (X 479).

De Dictynna in promontorio prope Gutheium, Laconicae urbem, culta haec habet Pausanias (III 24,9): *Πρὸς θαλάσσῃ δὲ ἐπὶ ἄκρας ναός ἐστι Δικτύννης 'Αρτέμιδος, καί οἱ κατὰ ἔτος ἕκαστον ἑορτὴν ἄγουσι.*

Praesertim Aeginae incolae veneratione prosequebantur deam, quae apud eos *'Αφαίας* nomine colebatur. De quo numine haec habet Pausanias (II 30,3): *'Εν Αἰγίνῃ δὲ πρὸς τὸ ὄρος τοῦ Πανελληνίου Διὸς ἰοῦσίν ἐστιν 'Αφαίας ἱερόν, ἐς ἣν καὶ Πίνδαρος ᾆσμα Αἰγινήταις ἐποίησε. Φασὶ δὲ οἱ Κρῆτες, τούτοις γάρ ἐστι τὰ ἐς αὐτὴν ἐπιχώρια, Καρμάνορος τοῦ καθήραντος 'Απόλλωνα ἐπὶ φόνῳ τῷ Πύθωνος παῖδα Εὔβουλον*

1) Cf. Callim., Hymn. in Dian. 197 sq. (Ed. Schneid.) Strab. X 479 et 484. Paus. II 30,3.

εἶναι, Διὸς δὲ καὶ Κάρμης τῆς Εὐβούλου Βριτόμαρτιν γενέσθαι· .. ........ Ἐπίκλησις δέ οἱ παρά τε Αἰγινήταις ἐστὶν Ἀφαία καὶ Δίκτυννα ἐν Κρήτῃ. Videmus Pausaniam Ἀφαίαν assimilare Britomarti, quam ob rem non dubito, quin Ἀφαίας cognomen, quod cum verbo ἀφιέναι «dimittere» cohaerere videtur, inde originem duxerit, quia dea a rupibus se «dimisisset». De Ἀφαίᾳ igitur eaedem aut saltem consimiles fabulae narratae esse videntur, quae de Britomarte, Minoem fugienti et in mare prosilienti, traditae sunt.

Etiam iuxta Anticyram, in regione quadam montana, templum attollebatur Ἀρτέμιδος Δικτυνναίας, cuius cultus haud scio an ab Aeginetis repetitus sit; deae saltem signum ab Aeginetis fabricatum erat, Pausania auctore (X 36,5).

Hisce igitur exemplis apparet in promontoriis aut in locis editis, prope mare sitis, Britomartim sive Dictynnam coli solere, quocirca facile adducimur ad existimandum, maris tutelam atque arbitrium huic quoque numini credita fuisse [1]).

Hinc, si quid video, apud Plutarchum coniunctim cum Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ, deo maritimo, Ἄρτεμις Δίκτυννα memoratur: Ἀρτέμιδός γε Δικτύννης Δελφινίου τε Ἀπόλλωνος ἱερὰ καὶ βωμοὶ παρὰ πολλοῖς Ἑλλήνων εἰσίν. [2]). Neque alio spectare puto, quae Pausanias de Britomarti tradit, quam cum dea Λιμναίᾳ eodem loco habet. Haec eius

1) Huic sententiae minime repugnare Dictynnae venerationem intra Lacedaemonis fines, quam Pausanias memorat (III 12,8 III 14,2. Cf. etiam Liv. XXXIV 38), nemo non intelleget, qui cognoverit et aliarum urbium et praesertim Lacedaemonis moris fuisse, ut sibi vindicarent deorum cultus, qui primitus haudquaquam sibi proprii essent. Cf. libri mei pag. 19.

2) Plutarch., de soll. anim. p. 984 B.

sunt verba (III 14,2): *Ἐπονομάζουσι δὲ αὐτὴν καὶ Λιμναίαν, οὖσαν οὐκ Ἄρτεμιν, Βριτόμαρτιν δὲ τὴν Κρητῶν* [1]).

Sed iam satis superque disputavimus de *Ἀρτέμιδι* deque deabus, quae ei cognatae sunt, quam ob rem e re erit ad ceterorum numinum cultus in locis editis transire.

---

## De *Ἀφροδίτης* venerationE.

---

Cum *Ἀρτέμιδι* optime componi potest *Ἀφροδίτη*, licet natura plane inter sese differant deae et muneribus paene contrariis fungantur. Utraque enim temporum remotissimorum memoriam servabat, utraque in iisdem regionibus, quamvis varias ob causas, colebatur, utrique denique proprium erat in locis superioribus, praesertim in iis, quae prope mare sita erant, sedes venerationis habere [2]).

In Arcadiae monte Cotylio [3]), in promontorio Coliade [4]), in Thraciae promontorio Zeryntho [5]), in Asiae montibus Castnio [6]) et Pyrrha [7]), in Pyrenaeo [8]), ubique

1) Haec verba, quae vulgo post vocabula *Ἀρτέμιδος Ἰσσωρίας ἱερόν* leguntur, quo nascitur sententia plane absurda, suo loco restituenda esse post *Ἀρτέμιδος Αἰγιναίας* coniicio. Dea enim Aeginetica Britomartis optime dici potest, ut e superioribus apparet, Issoria contra nullo modo.

2) Lectu dignissima sunt, quae vir doctus E. Meyer in libro, qui inscribitur Geschichte d. Alterth. (II 104—107) de similitudine discriminibusque ambarum dearum protulit. 3) Cf. Paus. VIII 41,10.

4) Cf. Arist. Nub. 52. Lys. 2. Strab. IX 398. Paus. I 1,5. Callim. Hecab. frg. 66g (ed. Schneid.). Luc. Ann. § 42.

5) Cf. Lycophr. 449 c. schol.

6) Ibid. 403, 1234. Cf. praeterea Callim. frgm. 32 b (ed. Schneid.). Strab. IX 438. 7) Cf. Strab. XIII 606. 8) Cf. Ibid. IV 178, 181.

terrarum in locis celsissimis, templa habebat Ἀφροδίτη. Hinc Ἄκραια [1]) vocabatur apud Argivos, qui, sicut supra vidimus, etiam Ἀρτέμιδι Ἀκραίᾳ honores tribuebant. Eodem nomine in summo Cypri monte, qui Olympus dicitur, colebatur [2]), cuius insulae loca altissima omnia fere in deliciis habebat ἡ Κυπρογένεια, quocirca in editis Idalii silvis [3]), in Pedalio [4]) in Zephyrio [5]) promontoriis, Ἀφροδίσια erant exstructa.

Quod autem e praecedentibus apparet promontoria prae ceteris locis apta visa esse ad deam colendam, id etiam clarius perlucet ex iis Ἀφροδίτης cultibus, qui ab Aenea instituti esse ferebantur. Aeneas enim, cum Troiam urbem a Graecis incensam reliquisset, ut novam patriam quaereret, quocumque navibus circumerrans appulserat, in littoribus matri aedem sacram erexisse dicebatur. Inde usque ad Dionysii Halicarnassensis aetatem ubivis in rupibus in mare prominentibus fana erant Ἀφροδίτης Αἰνειάδος [6]). In eorum quoque numero Ἀφροδίτης Ἐρυκίνης ἱερόν referendum est, quod in Siciliae monte Eryce usque a remotissimis temporibus exstabat; quod sacrum Aeneas olim, post longum cursum in

---

1) Cf. Hesych. s. v. Ἀκρία.

2) Cf. Strab. XIV 682.

3) Cf. Verg. I 680 sq. X 51 sq. Theocr. XV 100. Catull. 36,12. 61,74. 64,96. Anno 1876 R. H. Lang in insula Cypro loca, pago „Dali" adiacentia, perscrutatus est. Aedes sacra ibi ab eo effossa est, quam olim Aphroditae Idaliae aliisque numinibus consecratam fuisse putat. Cf. R. H. Lang, „Narrative of excavations in a temple at Dali (Idalium) in Cyprus." Transact. of the royal soc. of literat. Vol. XI pars I pp. 30—79.

4) Cf. Strab. XIV 682.

5) Ibid. XIV 683.

6) Cf. Dion. Hal. Arch. I 50,51.

Siciliam adveniens, condidisse [1]) aut saltem instaurasse novisque ludis celebravisse ferebatur [2]).

Sed iam satis de Aphrodite; ostendimus hanc deam eodem modo, quo Apollo Artemis Britomartis, praesertim in promontoriis tanquam numen marinum cultam fuisse. Quae quum ita sint, nemo mirabitur ipsi quoque *Ποσειδῶνι* permulta promontoria consecrata fuisse eaque vel magna ex parte nomina ab hoc deo habuisse.

---

## De *Ποσειδῶνος* VENERATIONE.

---

In Chio [3]), in Samo [4]), in Epiro [5]), in Thessalia Phthiotide [6]), in Pallene [7]), in Cilicia [8]), Caria [9]), Bithynia [10]), in Lucania [11]), in Arabia [12]), in omni denique orbe terrarum Graecis noto, *Ποσείδια* sive *Ποσειδώνια* reperiebantur, promontoria scilicet *Ποσειδῶνι* dicata et haud raro templis exornata. In Achaeae quoque promontorio *Ῥίῳ τῷ Ἀχαιϊκῷ* et in *Ῥίῳ τῷ Αἰτωλικῷ* [13]) huic

1) Cf. Verg. Aen. V 760.
2) Cf. Diod. Sic. IV 83.
3) Cf. Strab. XIV 645. Ptol. V 2,30.
4) Cf. Strab. XIV 637.
5) Cf. Ibid. VII 324, Ptol. III 14,4.
6) Cf. Strab. VII 330. Ptol. III 13,17.
7) Cf. Thuc. IV 129. Liv. XLIV 11.
8) Cf. Scyl. per. 102. Anon. Stadm. m. magn. § 175.
9) Cf. Strab. XIV 633, 634, 651, 658. Anon. Stad. m. m. §§ 273, 275.
10) Cf. Ptol. VI 4. Apoll. Rh. Arg. I 1279.
11) Cf. Strab. III 252.
12) Cf. Diod. Sic. III 42. Strab. XVI 776. Ptol. VI 7,8.
13) Cf. Paus. X 11,6. Strab. VIII 335. Thuc. II 84,4. Scyl. Per. 35. Pol. V 94,8. Vulgo illud *Ῥίον τὸ Αἰτολικόν* nominatur *τὸ Ἀντίρριον* vel *τὸ Ῥίον τὸ Μολυκρικόν*.

opposito, fana habebat *Ποσειδῶν;* nec non Laconiae promontorium *Ταίναρον* [1]) et Siciliae *Πελωριάς ἄκρα* [2]) in eius tutela erant. Etiam in Sunio, Atticae promontorio, aedem sacram habebat *Ποσειδῶν,* quare nautae Atticam circumvehentes a *Σουνιαράτῳ Ποσειδῶνι* prosperam navigationem implorabant [3]). Neque denique in enumerandis *Ποσειδῶνος* cultibus, qui in promontoriis ei tribuebantur, silentio praeterire licet *Ποσειδῶνος Ἑλικωνίου* venerationem celeberrimam. Huic enim deo Ionii templum aedificaverant in Mycale promontorio, ubi dies festos, ab institutoribus *τὰ Πανιώνια* nominatos, quotannis peragebant. Unde haec sacra repetita sint, nondum pro certo constat. Pausanias et Strabo nomen deo inditum esse affirmant ab Helice Achaica, qua in urbe olim coleretur *Ποσειδῶν.* Posthac Helices incolae patria pulsi, colonorum more deum patrium secum deportavisse ferebantur, et cum haud longe a Mycale sedes ac domicilia constituissent, in hoc promontorio templum condidisse narrabantur patrio deo, retento antiquo eius cognomine. Hanc tamen sententiam Gruppe[4]) strenue impugnat. *Ποσειδῶνα Ἑλικώνιον* a Boeotiae monte

---

1) De testimoniis, quae huc pertinent, vide S. Wide, Lak. Kult. 33 sqq.

2) Cf. Diod. Sic. IV 85. Strab. VI 257.

3) Cf. Aristoph. Equit. 560. Nuper societas archaeologica Graeca hoc promontorium effodiendum curavit. E variis inscriptionibus ibi inventis clare apparet aedem sacram in summo promontorio sitam, quae usque adhuc *Ἀθηνᾶς Σουνιάδος* templum habebatur, *Ποσειδῶνι* dicatam fuisse. De qua re vide B. Stais, Eph. Arch. 1900 Vol. III pp. 113—150. Mirum quod scriptores veteres *Ποσειδῶνος* templi huius permagni mentionem faciunt nullam, *Ἀθηνᾶς* contra delubrum saepissime commemorant.

4) O. Gruppe, Griech. Myth. u. Rel. gesch. apud I. v. Müll. Handb. d. kl. Alterth. V 2,1. pp. 74 et 272.

Helicone cognominatum ac inde in Asiam translatum esse a Ioniis, qui alios quoque complures cultus e Boeotia secum traduxerint veri ducit simillimum. Attamen de hoc *Ποσειδῶνος* cultu Boeotico omnino nulla exstant testimonia, nisi Aristarcho auctore credamus (Arist. ad Il. *Υ* 404), *Ποσειδῶνα,* qui in carmine heroico *Ϝελικώνιος ϝάναξ* vocetur (*Υ* 404), intellegendum esse deum in Boeotiae monte Helicone cultum. Aristarcho autem ne adstipulemur, monent alii Homeri versus, ubi Poseidon Achaeae urbis Helicae praesidens commemoratur [1]). Quamobrem maiorem fidem Pausaniae Strabonisque sententiae tribuendam esse censeo, quam Gruppii interpretationi.

Sed haec de *Ποσειδῶνι.* Pervenimus iam ad deam, cuius cultus in locis editis ultimo loco pertractandos mihi sumpsi, *Ἀθηνᾶν* dico.

---

## De *Ἀθηνᾶς* veneratione.

---

Innumerarum urbium praeses habebatur *Ἀθηνᾶ*, quocirca Aristides [2]), vix veritatem egressus, de ea haec praedicat: *εἰσὶν αἱ πόλεις δῶρα Ἀθηνᾶς ..... Πολιοῦχος ἅπασι κέκληται* et alio loco: *Πόλεων δὲ πασῶν τὰς κορυφὰς ἔχει* (*Ἀθηνᾶ*) *κατὰ κράτος.* Quas quidem urbes omnes enumerare a proposito meo alienum est [3]); hoc loco tantum id unum observa-

1) Cf. Iliad. *Θ* 200 e. q. s. et Iliad. B 575.

2) Aristid. Vol. I p. 17 et p. 15 (Dind.).

3) Si quis omnia veterum testimonia, quae huc pertinent, cognoscere cupit, inspiciat librum viri docti L. R. Farnell, C. o. Gr. St. I 293—302. 391 e. q. s.

tum velim, inter eas primarium locum obtinere Atticae urbem nobilissimam, in cuius arce plura deae templa erant exstructa, ubi plures quoque pompae et festa sollemnia in honorem τῆς Πολιάδος agebantur. Mirum igitur non est, quod plerique viri docti deam ab hac urbe Ἀθηναίας sive Ἀθηνᾶς nomine nuncupatam esse existimant. Quam quidem sententiam si approbemus, etiam hoc pro certo sumendum erit, iam antiquissimis temporibus Athenienses tantopere potentia ac viribus ceteris civitatibus praevaluisse, ut per totam Graeciam deam suam pervulgarent. Nam, ut supra commemoravimus [1]), posterioribus temporibus in omnibus fere urbibus Athena tutela habebatur [2]). Testimonio tamen nullo cognitum habemus re vera Athenas aliquando ceteris urbibus opibus antecessisse; immo pro certo constat adhuc Solonis aetate satis infirmam fuisse rem publicam Atheniensium. Vereor igitur, ne vulgarem deae nominis interpretandi rationem secuti, longe a veritate aberremus; quamobrem aliam potius viam ingressurus sum. Paucos enim annos abhinc H. Usener in egregiis illis studiis, quae de Graecorum deorum nominum origine ac propria significatione agunt, variis exemplis demonstravit permultas urbes, quae numero plurali nuncupantur, a dea quadam sive nympha nomina tra-

1) Cf. pag. 18.

2) E. Meyer tam firme persuasum habet ab urbe Athenis originem duxisse deam, ut hoc uno argumento nisus non dubitaverit pro certo affirmare re vera Athenas remotissimis temporibus opibus floruisse: II 114 sq. „Noch deutlicher ist der locale Ursprung der Göttin von Athen. Einen Eigennamen hat sie überhaupt nicht, sie heisst „die von Athen" (Ἀθηναία) ...... „Dieser Vorgang beweist eine Machtstellung Athens in der ältesten Zeit, von der unsere Ueberlieferung keine Spur mehr bewahrt hat."

xisse. In his *Ἑστίαι* urbs a *Ἑστία* dea, *Μυκῆναι, Θῆβαι, Θεράπναι* urbes de nymphis *Μυκήνη, Θήβη, Θεράπνη* vocatae sunt [1]). Quid igitur obstat, quominus sumamus, eadem quoque ratione urbem Athenas nomen adeptam esse a prisca dea *Ἀθήνη* [2]), quae non in Attica solum, sed per totam Graeciam coleretur quaeque non ab Athenis urbe in ceteras civitates transportaretur, sed fortasse in hac urbe ad tantum honorem perveniret, ut *Ἀθηνῶν* nomen ei inderet?

Sed iam quaeritur, quae fuerit causa, cur huic potissimum deae in superioribus urbium locis templa aedificaverint. Nam hoc non casu tantum ac fortuito factum esse, verum ex ipsa deae natura atque indole consequi, per se intellegitur. De qua re variis ac plane diversis modis viri docti sententias protulerunt. Alii deam aethera [3]) repraesentare, alii tonitrum [4]), alii tempestatem [5]), alii auroram [6]) perhibuerunt. Omnes autem ad sententias firmandas afferunt narrationes illas, quae de Athena gravi armatura induta e patris capite prosiliente traduntur [7]). Sed quam

1) Cf. Herm. Usener, Götternamen 232 sq.

2) *Ἀθήνη* antiquissima deae nominis forma fuit, ex qua postea *Ἀθηναία* sive, forma decurtata, *Ἀθηνᾶ* eodem modo orta esse videtur, quo *Δικτυνναία* ex *Δίκτυννα*. *Νικαίη* ex *Νίκη*, *Πολυξεναία* ex *Πολυξένη*, *Σεληναίη* ex *Σελήνη* nata sint. Cf. H. Usen, Gött. 10. 3) Cf. F. G. Welcker, Gr. Götterl. I 300.

4) Cf. Fürtwängler in Rosch. A. L. s. v. Athena.

5) Cf. Schwartz, Urspr. d. Myth. p. 38.

6) Cf. Max Müller, Nineteenth Century. 1885 pp. 636 et 639.

7) Egregie hanc quaestionem tractavit L. R. Farnell, C. o. G. S. I 280—291. Disputationis conclusio his continetur verbis: „Now if, without any hypothesis to start with, one looks at the descriptions of the birth in the ancient poets and mythographers, one is soon assured that they are not conscious of using language that could be taken to convey any allusion to a thunderstorm or to any other of the striking phenomena of nature."

Cf. etiam A. Lang, Myth Rit. and Rel. II 244—250.

periculosa sit talis mythos explicandi ratio, quam facile in errorem inducat interpretatorem, ante monui [1]). Inter tot virorum doctorum sententias nulla igitur est, cui ex omni parte assentiri possum neque ullo modo fieri posse existimo, ut e mythis de Athenae origine traditis pro certo efficiamus, quid sit ex iis, quae in coelo fiunt, cui deae natura respondeat. Quodammodo tamen connexam esse deam cum rebus coelestibus non est quod negem. Hoc enim probare videtur artissima illa propinquitas, qua coniuncta erat summo deo, cui totius coeli regimen erat traditum quique praecipue in locis celsis colebatur. Etiam *Ἀϑηνᾶ* haud aliter quam *Ζεύς* ipse, *Ἀκραῖα* cognominabatur; quo nomine in magno honore fuisse videtur apud Argivos, qui, sicut supra probavimus [2]), praecipue numina in editis locis culta venerabantur. (Cf. *Ζεὺς Λαρισαῖος*, *Ἀπόλλων Δειραδιώτης*, *Ἥρα Ἀκραία*, [3]) *Ἀφροδίτη Ἀκραία*, *Ἄρτεμις Ἀκραία*).

*Ἀκραίας* autem cognomen deae inditum esse, quia in arcibus coleretur, vulgo perhibetur; equidem tamen potius crediderim eam antiquitus hoc nomen adeptam esse, quia praecipue in locis editis coleretur. Cum autem horum locorum magna pars in urbis alicuius vicinia esset, facillime fieri potuit, ut deae cultus in ipsam urbis arcem transferretur. Ita posterioribus adhuc temporibus permulti exstabant Athenae cultus in locis editis prope urbem quandam sitis. In Elidis monte, urbi Phrixae

---

1) Cf. pag. 3. 2) Cf. pp. 64, 66, 73.

3) Hesych. s. v. *Ἀκρία*. Paus. II 24,3.

opposito, templum erat Ἀθηνᾶς Κυδωνίας [1]), in Phocidis monte iuxta Elateam Ἀθηνᾶ Κραναία [2]) colebatur, in summo quodam monte, Cleitori urbi adiacenti Ἀθηνᾶ Κορία [3]), in alio Arcadio monte Boreio prope Aseam Ἀθηνᾶ Σώτειρα [4]) venerationi erat, in Argolide denique haud longe ab oppido Lerna in montis Pontini vertice templum Ἀθηνᾶς Σαΐτιδος [5]) sese attollebat.

Sed haec de Athena in arcibus culta; quod attinet ad ceteros deae cultus, qui huc faciunt, imprimis dignum mihi videtur, quod observetur permulta quoque promontoria Athenae consecrata fuisse. In Attica Sunium [6]) et Zosterium [7]) ei erant dedicata, in Salami insula Sciradium promontorium [8]), in Megaride Ἀθηνᾶς Αἰθυίας σκόπελος [9]), in Argolide ὄρος ἐς θάλασσαν ἀπὸ τῆς Πελοποννήσου προβεβλημένον, Βούπορθμος [10]), in Laconica promontorium quoddam prope Praseas urbem [11]) et alterum, quod Ὄνου γνάθος [12]) nominabatur, Athenae sacra erant, in Messeniae promontorio Coryphasio aedes erat Ἀθηνᾶς ἐπίκλησιν κορυφασίας [13]), in insula Creta denique Ἀθηνᾶ Σαλμωνία [14]) a promontorio Salmonio sive Samo-

1) Cf. Paus. VI 21,6. Lycophr. 936.
2) Cf. Paus. X 34,7. Bull. d. Corr. Hell. 1887 p. 318.
3) Cf. Paus. VIII 21,4. Cic., de nat. deor. III 23,59. Schol. Pind. Ol. VII 153.
4) Cf. Paus. VIII 44,4.
5) Cf. Ibid. II 36,8.
6) Ἀθηνᾶς Σουνιάδος templum commemoratur apud Paus. I 1,1 Soph. Aiac. 1220. Eur. Cycl. 294 sq. De aede sacra nuper effossa vide B. Stais, Eph. Arch. 1900. Vol. III pp. 130—150.
7) Cf. Paus. I 31,1. Steph. Byz. s. v. Ζωστήρ.
8) Cf. Herod. VIII 94. Plut. Sol. c. 9.
9) Cf. Paus. I 5,3 et I 41,6.
10) Cf. Ibid. II 34,8.
11) Cf. Ibid. III 24,5.
12) Cf. Ibid. III 22,10.
13) Cf. Ibid. IV 36,2.
14) Cf. C. I. G. No. 2553. Strab. II 106. X 472, 474, 475, 478, 489.

nio denominabatur. Athena igitur, quae, ut satis notum est, et Athenis ipsis et aliis in urbibus saepe una cum *Ποσειδῶνι* colebatur [1]), hoc quoque commune habebat cum eo deo, quod promontoria quam maxime apta videbantur loca, ubi templa ei collocarentur.

1) De qua re vide L. R. Farnell, Cults of the Gr. St. I. 270—273. W. Immerwahr, K. u. M. A. 63 sq.

## CAPUT IV.

**Num Graeci deorum in locis editis colendi morem aliunde petiverint. De vestigiis huius cultus aetate recentiore.**

---

In superioribus variis exemplis ostendimus, quam pervulgata apud Graecos esset consuetudo deos colendi in montibus collibus promontoriisque; quorum locorum complures priscis saltem temporibus ipsos quoque tamquam deos adoratos fuisse probasse mihi videor. Praeterea apparuit, omnes cultus, supra a me tractatos, referendos esse ad eos deos, qui in coelo habitare putarentur, unde lucem atque calores fecundos praeberent terris, unde imbres dimitterent, unde navigatoribus ventos darent secundos, unde denique alio quodam modo hominibus montanis, pastoribus aliisque prodessent. Iam digna mihi videtur, de qua paulo fusius agamus, quaestio, utrum haec colendi ratio Graecis inde a priscis temporibus propria fuerit, an fortasse aliunde eam mutuati sint. Qua in re prae ceteris cogitamus de populis stirpis Semiticae. Apud eos enim consuetudinem deos summis in montibus colendi quam maxime viguisse, supra vidimus [1]). Primo igitur loco investigemur, quinam Graecorum cultus in locis editis cum venerationibus

1) Cf. pag. 12.

Semiticis cohaerere potuerint. Inter quos *Διὸς Ἀταβυρίου* veneratio in summo Rhodi monte Atabyrio primarium locum obtinet. Cuius dei templum celeberrimum ab Althaemene, Catrei Cretensum regis filio, conditum esse ferebatur. Narrabant enim Athaemenem olim, ne ex oraculo patrem occideret, e patria in Rhodum insulam profugisse ibique in summo Atabyrio monte *Διὸς Ἀταβυρίου* templum atque aram aedificasse. Hoc modo tamen minime ei successisse fabulabantur ea, quae in fatis essent subterfugere. Nam cum postea pater eius Catreus iter faciens forte fortuna ad Rhodum appulisset, eum ignarum atque invitum hastae iactu patrem interfecisse fertur [1]). Hoc autem *Διὸς Ἀταβυρίου* sacrum, quod adhuc Diodori Siculi aetate magna sollemnitate frequentabatur [2]), minime a Cretensibus conditum esse, sed re vera a Phoenicibus, qui in suo monte Tabor, a Polybio *Ἀταβύριον,* a Iosepho *Ἰταβύριον* appellato, deum «Baal» colerent, institutum esse, certis argumentis probavit Movers [3]).

Praeter hunc cultum, quem Graeci haud dubie a Semitis mutuati sunt, etiam *Ἀφροδίτης Ἐρυκίνης* in Sicilia venerationem et varios *Ἀφροδίτης* cultus in insula Cypro e regionibus Semiticis profecta esse inter viros doctos

---

1) Cf. Diod. Sic. V 59. Schol. Apoll. Bibl. III 2, 1, 4. Strab. XIV 655, X 454. Pind. Olymp. VII 160. c. schol. Appian. Mithr. p. 321. Polyb. IX 27,7. Steph. Byz. s. v. *Ἀταβύρον*.

2) Cf. Diod. Sic. l.l. *Ἀταβυρίου Διὸς ἱερὸν .... ἔτι καὶ νῦν τιμᾶται διαφερόντως·*

3) Movers, Phoenikier. I 26. II 2,146 sqq. Cf. praeterea W. Baudissin, Stud. z. Sem. Rel. II 247 sqq. Etiam in Agrigenti arcem cultum illum *Διὸς Ἀταβυρίου* transportaverunt Phoenices. Cf. Polyb., Schol. Pind., Steph. Byz. ll. ll.

constat et compluribus deae statuis, ad exempla Semitica exactis, satis firme probatur [1]).

Praeterea sunt qui venerationem *Μητρὸς ὀρείας Κυβήλης*, quae dea in Phrygia et in regionibus circumiacentibus usque quaque in montibus celebrabatur [2]), e superstitionibus Semiticis pendere affirment [3]). De qua quaestione certam proferre sententiam equidem non ausim. Hoc tamen certo certius mihi videtur, *Ῥέαν* deam sincere Graecam, quae saepenumero etiam a scriptoribus veteribus ipsis *Κυβήλῃ* assimilatur [4]), neque cum numine quodam Semitico quodammodo cohaerere neque cum Phrygia illa dea non nisi obiter connexam fuisse [5]). *Ῥέα* enim Graecorum numen fuit genuinum atque sincerum, et nusquam, quod equidem sciam, in montibus venerationi fuit. In mythis tantum, quibus narratur, quomodo in montium latebris *Διός* mater filium pepererit, quem deinde nymphis educandum mandaverit, montes nonnulli religiose commemorantur; quae tamen fabulae, sicut supra vidimus [6]), potius ad celsissimum deum *Δία*, quam ad *Ῥέαν* referendae sunt.

Dubito igitur, num recte paucis hisce argumentis

---

1) Cf. Prell.-Rob., Griech. Myth.[4] I 345 sqq.

2) A variis montibus, ubi venerationi erat, varia nomina adepta est dea: **Σιπυλήνη** (Strab. X 469. C. I. G. 3137, 3193, 3260, 3286, 3385), **Δινδυμήνη** (Strab. X 469. Herod. I 80. Anth. Pal. VI 51. Luc. Trag. 30. Verg. Aen. IX 618), **Ἰδαία** (Eur. Or. 1453. Apoll. Rh. I 1125. Strab. X 469), **Τηρείη** (Strab. XIII 589), **Ἀσπορήνη** (Strab. XII 619), **Περγαμήνη** (C. I. G. 6835), **Κυβέλη** (Strab. XII 567. Hesych. s. v. **Κύβελα** (Diod. Sic. III 58. Serv. in Verg. Aen. III 110).

3) Cf. E. Meyer, Gesch. d. Alterth. I 308 § 257. Ferd. v. Andrian, Höhenc. 259.

4) Cf. Orph. Hymn. XXVII. Strab. X 469.

5) Cf. Rosch. Ausf. Lex. II 1661.

6) Cf. pp. 46 sq.

origo cultus deorum in locis editis apud Graecos ad gentes Semiticas referri possit; vereor profecto, ne talem sententiam si defendamus, incidamus in vitiosam illam methodum, supra a me improbatam, qua viri docti saepe ea, quae a Graecorum moribus paulo abhorrere videntur, statim ad exempla Semitica revocare conantur.

Ne summus quidem mythologus Germanicus Mannhardt falsam hanc interpretandi rationem vitasse mihi videtur, quippe qui etiam pervetustum *Διὸς Λυκαίου* cultum originem a Phoenicibus traxisse putaret. Humana enim illa sacrificia, de quibus supra[1]) fusius egi, quam maxime a Graecorum moribus genuinis aliena fuisse perhibuit, quamobrem, quamvis dubitanter, coniecit, Phoenices deum suum »El” ad Arcades transportavisse [2]). Cuius autem viri docti sententia, quam longe a veritate absit, facile agnoscet quicumque et *Διὸς Λυκαίου* et aliorum deorum in montibus cultorum peculiares caerimonias, quales essent paulo accuratius secum perpenderit. In superioribus enim pluribus exemplis satis lucide ostendisse mihi videor, in vetustissimis illis cultibus id ipsum insigne atque notabile fuisse, quod sacrificia humana deo immolarentur. Quibus de causis Mannhardtii sententiam respuendam esse censeo; mea contra facio verba anthropologi Andrew Lang, qui de priscis Graecorum ritibus caerimoniisque et alia cognitu

---

1) Cf. pp. 30 sqq.

2) W. Mannh., Ant. Wald- u. Feldk. II 342 „Möglicherweise liegt hier, bei den Lykaia ein Fall historischer Entlehnung vor, indem die Hellenen den an dem Arkadischen Berggipfel geknüpften Kult einer uralten Phönikischen Kolonie sich angeeignet und fortgesetzt, und deren Hauptgott El in die erhabenene Majestät des Zeus umgedeutet haben.”

utilissima observavit et haec de crudis illis sacrificiis humanis scripto madavit: »It must be remembered that the cruder and wilder sacrifices and legends of Greece were stricktly local; that they were attached to these ancient temples, old altars..... in which Pausanias found the most ancient relics of Hellenic theology. This is a proof of their antiquity and a presumption in favour of their freedom from foreign influence..... In this stagnant condition the early Greeks could not have made acquaintance with the many creeds of Semitic and other alien peoples on the shores of the Levant.» (A. Lang, Myth rit. a. rel. I, 262).

Postremo loco, ne ullum argumentum, quod afferri potest ad demonstrandum re vera a Semitis mutuatos esse Graecos morem deos in locis editis colendi, silentio praetermittam, paucis referendum est, multos viros doctos in numine *Κρόνῳ*, qui, ut supra commemoravimus [1]), in collibus praesertim venerationi fuit, agnoscere sibi videri Punicum deum «Moloch» [2]). De cuius autem dei origine ac propria significatione, cum in superioribus copiose exposuerim, quid sentirem, sufficiet mihi hoc loco tantum id unum in memoriam revocare, me *Κρόνον* pro genuino deo Graeco, *Διί* ipsi consimili et minime pro numine quodam a Phoenicibus accepto habere.

Quae cum ita sint, cuicumque iudici aequo iam perspicuum esse existimo apud Graecos morem deos in montibus clivibusque colendi inde a remotissimis

1) Cf. pp. 50 sqq.

2) De qua re vide Prell.-Rob. Gr. Myth.[4] I 51. Böttiger, Kunstmyth. I 222, 372. Sayce, Contemp. Rev. 1883. Diodorus Siculus (XX 14) ***Κρόνον*** iam deo cuidam Punico assimilavit.

temporibus exstitisse neque adventicium esse aut posteriore demum aetate ascitum. Qui mos, cum olim adeo Graecorum animis insitus fuerit, nil mirum, si nostris adhuc temporibus vestigia quaedam levia quidem, sed satis certa supersunt. De qua re breviter agendo disputationem meam concludam.

Permulta monasteria etiamnunc in Graecia certo consilio in montium cacuminibus exstructa sunt, quorum maior pars prophetae Eliae consecrata est; ab hoc viro sancto haud pauca quoque montium iuga denominata sunt [1]). Cuius rei originem ac propriam significationem ut bene intellegamus, e re erit paucis verbis in memoriam revocare, qua ratione Christiani religionem suam per orbem terrarum pedetemptim pervulgaverint. Novam scilicet dei informationem ut sensim ac leniter substituerent veteribus superstitionibus, quae per longa saecula paganorum in mentibus quasi infixae atque consignatae inhaerebant, cum narrationes de sanctis prophetis omnes, quantum fieri poterat, fabulis de diis heroisbusque gentilium adaptabant, tum ad monasteria aedificanda ea eligebant loca, quae iam inde a priscis temporibus sacra fuerant [2]). Sic apud hodiernos Graecos

1) *Βουνὰ τοῦ ἁγίου Ἠλία* commemorantur apud Neuman u. Partsch (Physik. Geogr. v. Griech. pp. 107, 156, 175, 180, 181, 274, 275, 294) et apud Bursian (Geogr. v. Griech. I 207. II 72, 104 sq. 155 sq. 163, 207, 236, 398, 412, 448, 463, 471, 481, 496, 500, 508, 521, 526, 528.)

2) Qua de re confer C. Wachsmuth, „Das alte Griechenl. im neuen" p. 22: „Als nämlich im Laufe des 5. und 6. Jahrhunderts das gesammte hellenische Volk von den byzantinischen Kaisern zur Bekehrung gezwungen worden war, fand das Christenthum äusserst schweren Eintritt bei der durchaus heidnisch verbliebenen Menge. Deshalb sahen sich die Priester genöthigt möglichst schon-

de sancto Dionysio fabulae narrantur eiusmodi, ut nulli dubitationi obnoxium sit hunc virum sanctum dei Dionysi vices in se recepisse [1]). Eadem autem ratione τὸν ἅγιον Ἠλία locum Ἡλίου occupasse, Wachsmuth observavit, cui postea Politis [2]) assensus est. Plura tamen sunt argumenta eaque haud levis momenti, quae non sine magna veritatis specie contra hanc sententiam proferri possunt; quocirca haec argumenta paulo fusius pertractabo, antequam distincte dicam, quid de Eliae veneratione sentiam. Primum huc facit, quod permulta montium cacumina, quae hodie Eliae prophetae consecrata sunt, olim non Ἡλίῳ sacra erant, sed aliis diis heroibusque, imprimis Διί ipsi [3]). Praeterea Elias tanto-

---

sam mit dem alten Glauben umzugehen, christliche Lehren mit ähnlichen Vorstellungen des Heidenthums zu parallelisiren" ..... „So viel irgend thunlich, behielt man dabei bereits durch heidnische Verehrung geweihte Stätten für den neuen Kult bei."

1) Talis narrationis illustre exemplum, quod agit de sancto Dionysio in insula Naxia vinum inveniente, commemoratur apud J. G. v. Hahn, in libro, qui inscribitur „Griechische und Albanesische Märchen" II 76 sqq. Naxum autem antiquissimis temporibus Dionyso imprimis dicatam fuisse nota res est, quocirca non miramur hanc insulam in fabulis de sancto Dionysio primarium obtinere locum.

2) Politis, ὁ Ἥλιος κατὰ τοὺς δημώδεις μύθους pp. 45 e. q. s. Wachsmuth, D. a. Gr. i. n. p. 23: „so löste den auf feurigem Wagen am Himmel fahrenden Sonnengott Helios (oder wie man sicher damals in 5. und 6. Jahrhundert schon sagte Ilios) in seinen auf hohen Bergen gelegenen Heiligthümern ab der auf feurigem Wagen gen Himmel fahrende, auch lautlich nahe stehende Elias (Ilias)."

3) Cf. L. Ross, „Wanderungen in Griechenland im Gefolge des Königs Otto und der Königinn Amalie," II 212: „Auf die scheinbare Uebereinstimmung der Namen Helios und Elias hat man so viel wie nichts zu geben. Der Prophet Elias hat in Griechenland Götter aller Art von hohen und niedrigen Bergspitzen verdrängt." Eadem fere legimus apud C. Bursian, Rhein. Mus. XVI 1861 p. 423 et B. Schmidt, „Das Volksleben der Neugriechen und das Hellenische Alterthum" I 48.

pere *Διὶ ὑετίῳ* sive *κεραυνίῳ* consimilis est, ut potius cum hoc deo quam cum *Ἡλίῳ* comparari possit [1]). Tertio loco pauca tantum sunt veterum documenta, quae testantur priscis temporibus *Ἡλίου* venerationem per totam Graeciam floruisse et etiam pauciora ea sunt, quae deum in montibus cultum fuisse tradunt. Tres tantum *Ἡλίου* cultus huc facientes apud scriptores veteres commemorantur.

Primum summum iugum montis Taygeti, quod *Ταλετόν* appellabatur, *Ἡλίῳ* sacrum erat, teste Pausania (III 20, 4): *Ἄκρα δὲ τοῦ Ταϋγέτου Ταλετὸν ὑπὲρ Βρυσεῶν ἀνέχει. Ταύτην Ἡλίου καλοῦσιν ἱεράν, καὶ ἄλλα τε αὐτόθι Ἡλίῳ θύουσι καὶ ἵππους.*

Praeterea Taenarum promontorium in *Ἡλίου* tutela erat. Cf. Hom. Hymn. in Apoll. vs. 411 sqq. (ed. Goodwin).

*ἷξον καὶ χῶρον τερψιμβρότον Ἠελίοιο,*
*Ταίναρον, ἔνθα τε μῆλα βαθύτριχα βόσκεται αἰεὶ*
*Ἠελίοιο ἄνακτος, ἔχει δ' ἐπιτερπέα χῶρον.*

Tertio loco Acrocorinthum, quae urbi Corintho imminet, olim *Ἡλίῳ* adiudicatam esse, cum *Ποσειδῶν* de hac regione cum eo in certamen venisset, Corinthii narrabant [2]); postea tamen *Ἥλιος* arcem *Ἀφροδίτῃ* concessisse ferebatur.

Ex hisce igitur testimoniis vix pro certo colligere possumus antiquissimis iam temporibus Graecorum in more fuisse praecipue in locis editis in *Ἥλιον* divinos adhibere honores et omnino de prisco illius dei cultu

1) Huius rei exempla haud pauca invenimus apud virum doctum Politis in libro supra laudato p. 47 sq. et alibi in libro, qui inscribitur: *Δημώδεις μετεωρολογικοὶ μῦθοι* p. 5. Cf. et Grimm, D. M.[4] I 144, 145. Nachtr. p. 64.

2) Cf. Paus. II 1,6. Dion. Chrysosth. Or. XXXVIII, 11.

perpauca tantum cognita habemus; temporibus hellenisticis contra magno in honore fuisse Ἥλιον, pro certo constat [1]). Cavendum tamen est, ne hinc colligamus posterioribus demum temporibus hunc deum ad maiorem quandam auctoritatem pervenisse. Haud paucae enim sunt superstitiones, quae sine dubio priscis temporibus floruerunt, deinde tamen per longum aevum quasi exstinctae fuisse et aetate demum hellenistica rursus revixisse videntur. Tales autem superstitiones apud plebem numquam prorsus evanuisse, sed lentam traxisse vitam per ea saecula, quibus deorum subliminiorum veneratione opprimerentur, veri est simillimum. Cum igitur horum deorum auctoritas tempore hellenistico magis magisque imminueretur, prisci illi cultus denuo in clariorem lucem prodire potuerunt et re vera prodierunt [2]). Eadem ratione factum esse existimo, ut Ἥλιος quoque antiquissimis quidem temporibus per totam Graeciam venerationi esset, sed

---

1) Cf. H. Usener, Göttern. 341. F. G. Welcker, Gr. Götterl. I 413.

2) Cognitu dignissima sunt, quae hac de re monuit vir doctus D. C. Hesseling in libro, qui inscribitur „Charos, ein Beitrag zur Kenntniss des neugr. Volksglaubens" p. 4: „in der Mythologie soll man überhaupt mit Glauben und Unglauben sehr vorsichtig sein und vieles was in der Literatur nicht nachzuweisen ist kann die Jahrhunderte hindurch im Volksglauben gelebt haben."

3) Cf. F. G. Welcker, Gr. Götterl. I 413: „vor dem Christenthum über ein Jahrtausend zurück hatte sich die Religion so gestaltet dass ihr eigentlich die Sonnenanbetung nicht mehr gemäss war." Eodem tendunt verba S. Widii, Lak. Kulte p. 217: „es ist erlaubt anzunehmen, dass eine ältere Völkerschicht, die „titanische" Bevölkerung oder vielmehr die Aioler, den Kult des Helios gepflegt hat;" quamquam equidem non multam tribuendam esse fidem puto nominibus, quibus Wide nuncupat priscas illas Laconiae gentes, de quibus vix quidquam cognitum habemus.

sensim atque paulatim ab aliis diis suo loco depelleretur. Ostendimus iam *Ἀφροδίτης* cultum in Acrocorintho *Ἡλίου* venerationi successisse, cui exemplo alia eiusdemmodi fortasse addi possunt. Prae ceteris tamen diis *Ζεύς* ipse *Ἡλίου* cultus ad se traxisse videtur. Sic vix denegari potest *Δία Ταλετίταν* et *Δία Ταλλαῖον,* quorum alter in Laconica, alter in Creta colebatur, ubi etiam *τὰ Ταλλαῖα ὄρη* ab eo erant denominata, locum occupasse pervetusti *Ἡλίου* cultus [1]; *Τάλως* enim cognominabatur *Ἥλιος,* teste Hesychio [2]), nec non in Taygeti vertice *Ταλετῷ,* quod nomen ab eadem stirpe derivandum esse videtur, usque ad Pausaniae aetatem *Ἥλιος* celebrabatur. Arto igitur vinculo inter se coniunctos fuisse *Δία* et *Ἥλιον* admodum probabile mihi videtur; quae quidem res praeterea eo quoque affirmatur, quod tempore hellenistico, cum complures iam dei in unum coalescebant, haud raro *Ζεύς* et *Ἥλιος* coniunctim, quasi unum esset numen invocabantur [4]). Quae cum ita sint, nemini mirum videri potest, *Ἡλίῳ* tributa esse nonnulla munera, quibus olim *Ζεύς* solus fungi soleret; *Ἡλίου* igitur informationem, qualem aetate hellenistica homines animis sibi effingerent, *Διός* informationi consimilem fuisse, per se intellegitur. Quibus omnibus bene perspectis iam

---

1) Cf. Hesych. s. v. **Ταλαῖος**. Cauer, Del.² 120, 121. C. I. G. 2554, 2569. S. Wide, Lak. Kulte p. 18: „Hinter dem Beinamen **Ταλλαῖος** und **Ταλετίτας** steckt wahrscheinlich ein alter Helioskult, wie wir auch wissen, dass auf dem **Ταλετόν** genannten Gipfel des Taygetos ein Heliosdienst noch in späten Zeiten bestand."

2) Hesych. s. v. **Τάλως**. 3) Paus. III 20,4.

4) Cf. C. I. G. 2716, 4262, 4590, 4604. C. I. L. III 3, IX 5824. De talibus syncretismi exemplis confer H. Usener, Göttern. 341.

eo, unde digressus sum revertar, et paulis expedire conabor sententiam meam de sancto Elia in montium cacumibus culto. Perquam probabile mihi videtur Christianos, cum quinto aut sexto saeculo p. Chr. n. religionem per Graeciam vulgare cuperent, et alios viros sanctos ecclesiasticos, quod fieri posset, accomadavisse diis Graecis, quibuscum quam maxime natura et nomine congruerent, et prophetam quoque Eliam substituisse deo, nomine ei plane simili, *Ἥλιον* dico. Cum autem hic deus inde a priscis temporibus apud plebem saltem inferiorem praecipue in locis editis semper magno in honore fuisset et a *Διί* plura mutuatus esset, Eliam quoque in montibus venerabantur et multa ei attribuebant officia, quae antiquitus *Διί* propria fuerant.

Quae mea sententia si vera est, illustri exemplo demonstrasse mihi videor, haud absurde saepius iam a v. Hahn, Wachsmuth, Bernh. Schmidt, Politis aliisque observatum esse studiis mythologiae neohellenisticae priscorum Graecorum numinum interpretationi interdum lucem afferri posse [1]).

---

1) Digna sunt, quae hoc loco laudentur verba E. H. Meyeri, Indog. Myth. I 102: „Wer ein möglichst unverfälschtes Bild, das antikste, von den volkstümlichen Unholden gewinnen will, der darf sich nicht — das ist die Ironie der Tradition — an die alten ehrwürdigen Classiker wenden, die den Volksglauben totzuschweigen lieben, sondern muss an die Türen des neuhellenischen Volkes pochen, wie es v. Hahn und B. Schmidt getan haben."

# THESES.

# THESES.

I.

Apud Graecos antiquitus montes tamquam fetissa culti esse videntur.

II.

Festa sollemnia, quae apud Graecos ad celebrandas *Διός* et *Ἥρας* nuptias sacras in variis locis editis agebantur, originem duxerunt a Graecorum more summis in montibus a diis implorandi imbres.

III.

Iniuria B. Schmidt prophetam Eliam dei *Ἡλίου* locum occupasse negat. (Schmidt, Das Volksl. d. Neugr. u. d. Hell. Alterth. I pag. 48).

IV.

Morem deos in locis editis colendi a populis Semiticis Graeci non mutuati sunt.

V.

Statua musei antiquarii Lugdunensis No. I 59 (Cat. Jans.) referendum esse videtur ad exemplum *Διὸς Πολιέως* confecti a Leochare.

VI.

Collatis statuis illis pervetustis, Apollines qui appellantur (vide e. g. Brunn, Phot. Tab. 45, 46, 57, 63), cum signo aeneo musei antiquarii Lugdunensis No. V 59

(Cat. Jans.), statuendum est hoc signum a Graeco quodam artifice sexto saeculo a. Chr. n. confectum esse.

VII.

Minus recte Ed. Meyer (Gesch. d. Alterth. II p. 139) anulum aureum a Schliemanno Mycenis effossum (Schliem., Myk. fig. 530), ad exemplum Chetiticum exactum esse perhibuit, neque ei assentiendum est in hoc anulo deum quendam in monte stantem expressum esse.

VIII.

Ad Crassum non anno 72, ut Th. Mommsen contendit (Röm. Gesch. III p. 89), sed initio demum anni 71 contra Spartacum belli imperium delatum est.

IX.

Clisthenes curiarum numerum non auxit.

X.

Haud recte vulgo contenditur Polluci de „εἰσαγώγη εἰς τοὺς φράτορας" agenti (VIII, 107) non multum tribuendum esse auctoritatis; immo nihil ex iis, quae de illa introductione deque caerimoniis ad eam pertinentibus tradidit, veterum scriptorum huius rei testimoniis refutatur.

XI.

Iniuria Gilbert (Handb. d. Griech. Staatsalterth. I p. 213) ad decretorum curiae Demotionidarum versum 116 annotavit: τῷ πρώτῳ (in der Bedeutung von προτέρῳ) ἔτει.

## XII.

Plat. De re publ. pag. 358 A:
*ἀλλὰ τοῦ ἐπιπόνου εἴδους, ὃ μισθῶν θ' ἕνεκα καὶ εὐδοκιμήσεων διὰ δόξαν ἐπιτηδευτέον.*

Deleantur verba *διὰ δόξαν.*

## XIII.

Plat. De re publ. pag. 407 C:
*ὥστε, ὅπῃ αὕτη, ἀρετῇ ἀσκεῖται κ. τ. λ.*

Legendum est *ὥστε αὕτη, ὅπῃ ἀρετὴ ἀσκεῖται κ. τ. λ.*

## XIV.

Thucyd. IV 85, 6:
*καὶ τὴν αἰτίαν οὐχ ἕξω πιστὴν ἀποδεικνύναι, ἀλλ' ἢ ἄδικον τὴν ἐλευθερίαν ἐπιφέρειν ἢ ἀσθενὴς καὶ ἀδύνατος τιμωρῆσαι τὰ πρὸς Ἀθηναίους, ἐὰν ἐπίωσιν, ἀφῖχθαι.*

Pro *ἐπιφέρειν* legatur *ἐπιφέρων.*

## XV.

Thucyd. I 73, 2: Ita legenda videntur:
*καὶ γὰρ ὅτε ἐδρῶμεν, ἐπ' ὠφελίᾳ ἐκινδυνεύετο, ἧς τοῦ μὲν ἔργου, εἴ τι μέρος μετέσχετε, τοῦ δὲ λόγου μὴ παντὸς στερισκώμεθα.*

## XVI.

Paus. III 14,2 sub. fin.:
*ἐπανελθοῦσι δὲ ὀπίσω πρὸς τὴν λέσχην ἐστὶν Ἀρτέμιδος Ἰσσωρίας ἱερόν· ἐπονομάζουσι δὲ αὐτὴν καὶ Λιμναίαν, οὖσαν οὐκ Ἄρτεμιν, Βριτόμαρτιν δὲ τὴν Κρητῶν· τὰ δὲ ἐς αὐτὴν ὁ Αἰγιναῖος ἔχει μοι λόγος.*

Vocabula *ἐπανελθοῦσι* usque ad *ἱερόν* transponenda sunt post voc. *λόγος.*

## XVII.

Soph. Elect. 78:

*καὶ μὴν θυρῶν ἔδοξα προσπόλων τινὸς*
*ὑποστενούσης ἔνδον αἰσθέσθαι, τέκνον.*

Legatur: *καὶ μὴν θυραῖς ἔδοξα προσμολών τινος κ. τ. λ.*

## XVIII.

Soph. Elect. 564:

*ἐροῦ δὲ τὴν κυναγὸν Ἄρτεμιν, τίνος*
*ποινὰς τὰ πολλὰ πνεύματ' ἔσχ' ἐν Αὐλίδι·*

Pro *πνεύματ' ἔσχ'* leg. *πλοῖ' ἔπεσχ'.*

## XIX.

Soph. Antig. 454:

*κηρύγμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν.*

Leg. *ὥς σ' ἄγραπτα.*

## XX.

Eur. Orest. versus 417—424 hoc ordine ponendos esse censeo:

| | | |
|---|---|---|
| *ME.* | *ἀμαθέστερός γ' ὢν τοῦ καλοῦ καὶ τῆς δίκης.* | 417. |
| *OP.* | *οὐ σοφός, ἀληθὴς δ' εἰς φίλους ἔφυν φίλος.* | 424. |
| *ME.* | *κᾆτ' οὐκ ἀμύνει Λοξίας τοῖς σοῖς κακοῖς;* | 419. |
| *OP.* | *μέλλει· τὸ θεῖον δ' ἐστὶ τοιοῦτον φύσει.* | 420. |
| *ME.* | *πόσον χρόνον δὲ μητρὸς οἴχονται πνοαί;* | 421. |
| *OP.* | *ἕκτον τόδ' ἦμαρ· ἔτι πυρὰ θερμὴ τάφου.* | 422. |
| *ME.* | *ὡς ταχὺ μετῆλθόν σ' αἷμα μητέρος θεαί.* | 423. |
| *OP.* | *δουλεύομεν θεοῖς, ὅ τι ποτ' εἰσὶν οἱ θεοί.* | 418. |

## XXI.

Cicer. Verr. V 58:

Deinde, id quod alio loco a n t e dixi.

Deleatur a n t e.

## XXII.

Apul. Metam. IV c. 21 (Ed. J. v. d. Vliet):

Enim vero Thrasyleon, egregium decus nostrae factionis, tandem immortalitate d i g n o i l l o spiritu expugnato, magis quam (humana) patientia neque clamore ac ne ululatu quidem fidem sacramenti prodidit.

Leg. immortalitate d i g n u s i l l e, spiritu expugnato magis quam patientia etc.

## XXIII.

Quinct. Inst. Orat. X 1,77:

Plenior Aeschines et magis fusus et grandiori similis, quo minus strictus est; carnis tamen plus habet, minus lacertorum.

Iniuria hic locus vulgo a viris doctis in controversiam vocatur.

## XXIV.

Liv. II 45:

Consulem R o m a n u m miles semel in acie fefellit, deos numquam fallet.

Pro R o m a n u m leg. R o m a n u s.

## XXV.

Caes. Bell. Gall. I 40,12:

scire enim, quibuscumque exercitus dicto audiens non

fuerit, aut male re gesta fortunam defuisse aut aliquo facinore comperto avaritiam esse convictam.

Deleantur voc. male re gesta et aliquo facinore comperto.

## XXVI.

Tacit. Hist. I 12:

multi stulta spe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant.

Pro ambitiosis leg. ambitiosi.

## XXVII.

Tacit. Ann. XV 57:

Sic primus quaestionis dies contemptus.

Pro contemptus leg. contritus.

## XXVIII.

Tacit. Dialog. 20:

traduntque in vicem ac saepe in colonias et provincias suas scribunt.

Pro suas leg. suis.

## XXIX.

Verg. Aen. IX 124:

Obstipuere animis Rutuli, conterritus ipse
Turbatis Messapus equis, cunctatur et amnis etc.
equis in aquis mutandum est.